



Dissertatio exegetico-dogmatica de sacrificio primo divino numini oblato

<https://hdl.handle.net/1874/347635>

Q. D. B. V.

D I S S E R T A T I O
E X E G E T I C O - D O G M A T I C A
D E
S A C R I F I C I O P R I M O
D I V I N O N U M I N I
O B L A T O

A U C T O R E
H E N R I C O J A C O B O P A G E N D A R M I O ,
H E Y E N A . B R V N S V I C E N S I ,
P H I L . E T S S . T H E O L . C A N D .

G V E L P H E R B Y T I ,
I M P E N S I S J O H . C H R I S T O P H . M E I S N E R I
c l o i c c x x x x v .



DOMINI SACRA TER TIA
EXCE^{PT}IC^E-DOGMATICA

SACRA TER TIA PRIMO
DIVIN OMINI MIN IMI NIMI NIMI OMINI
OBLALA

HENRICO HICCO PRAGNA PRAGNA PRIMO

BRUNNUS - BRUNNUS - BRUNNUS

GALPHE RY UT A
Immacula{e} fons Christiana Mariana
et cetera

VIRO GENEROSISSIMO
SUMME REVERENDO, ILLUSTRI ET
JURIJ CONSULTISSIMO

DOMINO
HENRICO BERNHARDO
DE SCHRADER,

COLLEGII CATHEDRALIS BRVNS-
VICENSIS,

QUOD A DIVO CYRIACO NOMEN EST SORTITUM,

DECANO SPECTATISSIMO,
SERENISSIMI DUCI BRVNSVICENSII
ET LUNEBURGENSI

PATRIÆ NOSTRO PATRI INDULGENTISSIMO

A CONSILIIS IN CANCELLARIA AULICIS,
SANCTIORIBUS ET SECRETIORIBUS
PRUDENTISSIMO, GRAVISSIMO, DIGNISSIMO,
LITTERARUM, SCIENTiarum, EASQUE
COLENTIUM

MÆCENATI CERTISSIMO
ET OMNI LAUDE MAIORI

EA, QUA PAR EST, ET DECET, SUBMISSI
ANIMI DEVENERATIONE
HANC DISSERTATIONEM QUALEM CUNQUE,

DE

SACRIFICIO PRIMO DIVINO NUMINI OBLATO,

IN CULTUS DEVOTI, ET PERPETUÆ OB-
SERVANTIAÆ, REVERENTIAÆ TESSERAM,
FAUSTA OPTIMA LÆTISSIMA QUÆVIS EX
INTIMO ADPRECATUS PECTORE
SACRAM ESSE VULT ATQUE
JUBET

PERILLUSTRIS NOMINIS

CULTOR ET CLIENS DEVO-
TISSIMUS
HENRICUS JACOBUS PAGENDARM,



PRÆFATIO.



Priusquam sciverim: de sacrificio
Adamico perulgatam inter eru-
ditos esse opinionem atque sen-
tentiam; me audire memini, co-
ram amplissima & doctissima concione e sugestu
sacro

sacro a magni nominis Viro sententiam: sacrificasse Adamum, ex Genes. III, 21, cœu probabilem & creditu dignam esse propositam publice. Quod quidem jam tunc temporis rationes mihi præbuit moventes, de sacrificio Adami tanquam primo mentem meam publice proponendi, idemque accuratiori animi lance ponderandi: Exhibeo itaque Tibi, *Benevole Lector!* cogitationes & meditationes meas: *de sacrificio primo divino numini oblato.* Et quamvis opus non esset, ut hisce quædam præmitterem; res tamen ipsa idem poscere videtur. Argumentum, quod quidem nove, non novum, pertractavi factum quoddam pro objecto habet, cuius existentia, quia ex rerum notionibus sive, ut cum Logicis loquar, a priori demonstrari non potest, ex aliis factis existentibus, aliisque rebus circumstanti-

bus in Sacra Scriptura obviis extra omnem dubitationem ponere sum ausus. Hinc palam fit, quod per consequutionem facti hujus existentiam probaverim, non per expressas scripturæ sacræ litteras.³¹⁵ Adeoque huic probandi modo non opponendum est silentium sacratum litterarum, cum insuper per ejusmodi argumentum existentia sacrificii Adamici neque negari neque affirmari potest. Hunc itaque in finem I. egi de sacrificiis ipsis, eorumque ratione & oblatione, itemque de sacrificiis quibusdam speciatim tanquam principiis ad probationem sacrificii Adamici. Huic subjunxi II. probationem ipsam de existentia sacrificii Adamici. Ex quibus omnibus III. nonnulla conjectaria, quæ forsitan non contemnenda, & absque omni utilitate & jucunditate erunt, sunt deducta. Utrum vero

uni-

unicuique satis fuerit factum, nec ne? id judi-
cio Lectoris relinquere volo. De reliquo, nil
magis peto, quam ut B. L. rationes pro existen-
tia sacrificii Adamici militantes bene ponderare
velit. Scrib. Heyenæ in præfect. Wickensi Du-
cat. Brunsvic. d. 14. m. Sept. ccccxxxxv.



DISSE^TAT^O
DE
SACRIFICIO PRIMO
DIVINO NVMINI OBLATO.

§. I.

Differentia cultus divini in veteri & novo testamento.



Quia intercedat differentia inter veteris & novi testamenti cultum; nemini facile ignotum esse potest: quamvis enim utriusque testamenti cultus unum idemque habeat fundatum, dogma scilicet de generis humani per Θεόν δέων redēptione, in eoque dogmate totius religionis ut utriusque cultus versetur cardo; cf. Act. IV, 12. XV, 11. attamen tam ratione tempora-

A

ris

ris quam ordinis, rituum religiosorum & cæremoniarum ac sacramentorum a se invicem differt. Vetus enim testamentum veterisque œconomia viatores, prouti subjecta operationis in Theologia a Theologis ductu locorum 1 Cor. IX, 24. 2 Cor. V, 6. 8. Philipp. III, 12. 13. vocantur, redemptorem quidem habebant promissum, & intuitu ejus satisfactionis & redemtionis participes fieri poterant salutis æternæ per apprehensionem scilicet ejusdem fiducialem suo tempore a redemptore præstandæ; redemptorem tamen ipsum adhuc exspectare debebant, consequenter erat futurus. Verum hæc exspectatio redemptoris in novo fœdere est sublata, quoniam redemptor in eodem is est, qui venit, atque satisfactionem pro toto genere humano actu & physice præstít. Et sic quoque eadem est ratio ordinis in utroque cultu, sive ejus formalis rationis. Cum enim per modo dicta redemptor hominum in veteri testamento esset futurus, adeoque satisfactione pro iisdem ab eodem physice nondum præstita, licet moraliter & ratione valoris ceu jam facta considerari posset; sapientia & benignitati divina placuit: hanc satisfactionem futuram certis adumbrare ritibus & cæremoniis, eandemque per sacrificia a Deo ipso præscripta præfigurare & juxta hæc sacrificia vere in redemptorem fidentibus omnia œconomia gratia bona impertire. Et ita quoque sese habuit cum sacramentis & reliquis cæremoniis in veteri testamento. Ex quibus itaque non potest non sequi, ut hoc rituum sacrorum cultusque divini genus tantisper, etiam ex ipsa Dei intentione, durare potuerit, dum venerit ipse redemptor, & satisfactionem ipsam realiter præstiterit; quo ipso omnes isti ritus & cæremonia, ac sacri-

Sacrificia sunt sublata, (a) aliasque cultus divini ordo, & formale possibile factum. Quod quoque in novo fœdere actu contigisse experientia testatur.

Schol. Redemptor generis humani ab Hebreis κατ' ἔξοχον vocatur Ιησούς, de qua quidem denominatione Henr. Majus in *Synops. Theol. Jud.* p. m. 142. ita disserit: Receptum quoque satis & notum in vulgus est: Μεσσίας. *Messias* nomen peculiare esse apud Iudeos Redemptoris, quem adhuc licet vane expectant. A Græcis vocatur χριστός, quod quidem vocabulum isti ratione significatus omnimode respondet, & unitum denotat, cf. Johan. I. v. 42. licet Judæi id nolint concedere, qui vocabulum Ιησούς in græco non per vocabulum τὸν χριστόν, sed τὸν ἡλείμπερον h. e. delibati reddunt, ne scilicet cum Christianis quid commune habere videantur. cf. Kromayeri *Theol. Post. Polém. Art. III. Th. III. p. m. 155.* Interim tamen ex ipsis denominationibus evenit, ut redemptor tanquam futurus *Messias*, & tanquam is qui venit, *Christus*, & per consequentiam cultus veteris testamenti *Messianus* & novi fœderis *Christianus* appellari soleat.

(a) Sacrificia in novo testamento quidem sunt sublata, quoniam is venit, quem præfigurarunt. Sicque alii ritus & cæmoniae; sed tantum quod ad usum, & externam observationem; non autem quod ad significationem, devotam meditationem & applicationem. cf. Aug. Pfeiffer in der *Evangelischen Christen Schule* p. m. 783.

§. 2.

Continuatio.

Non necessarium duco, ut multa de cultu novi testamenti præsertim externo in medium proferantur, quoniam ille unica ista regula ex intentione Dei est absolvendus, quam tradit Paulus i Cor. XIV.v.40. Πάντα εὐχημόνως καὶ κατὰ τὰς γνέδως cf. v. 33. Atque adeo non opus est, ut cultus iste magna in-

volvatur rituum copia & apparatu, qui respectum ad redemptorem habeat, (cf. §. I.) quemadmodum in V. T. Interim tamen uterque cultus tam V. quam N. T. maguopere ab eo differt, qui in statu integritatis obtinueret; si imaginem Dei concretam sartam teclamque retinuerent primi parentes: a) vi enim hujus imaginis divinae tantis animae & corporis dotibus tantisque perfectionibus a Deo benigniter concessis gaudebant, ut per easdem cultum praestare potuerent divinæ voluntati conformem. Sed simulac primi parentes contaminati essent sua culpa peccatis; ad cultum Deo acceptum ex naturalibus viribus præstandum non erant apti: per peccata enim inuestus erat dissensus sive dis-harmonia inter Deum & homines, consequenter cultum Deo acceptum praestare non poterant; nisi antea scirent hujus dissensus & dis-harmonia sublationem, ejusque sublationis naturam, rationem & conditionem; modumque placandi Deum. Verum homines per facultatem cognoscitivam, ceterasque vires naturales hunc modum, hanc rationem sublationis peccatorum, eorumque reatus determinare atque cognoscere absque divina ejusdem revelatione non posunt; sequitur itaque: ut primi parentes post lapsum Deo neque cultum naturaliter praestare acceptum, neque per principia rationis tam materialia quam formalia ad veram religionem divinæ voluntati conformem perduci potuerint.

- a) Quemadmodum cultus divinus V. T. *Messianus* & N. T. *Christianus*, (§. I. n. a.) ita quoque *cultus* in *Paradiso naturalis*, *operum & legalium* vocari potest. Vid. Celeb. Carpovii Theol. Dogm. T. I. §. III. seq.

§. 3.
De Ἐθελοθέρησια.

Ἐθελοθέρησια dicitur cultus, qui Deo ex mera opinione & persuasione consensus atque conformitatis eum voluntate ejus præstatur. (quæ tamen conformitas non obtinet) Constat itaque, quod ex notione & conceptu Ἐθελοθέρησιαν abhorre & abominari debeat Deus, quod quoque ex variis iisdemque claris apparat Scripturæ Sacrae dictis Num. XV, 39. Et. XXIX, 13. Matth. XV, 2. seq. Marc. VII, 6. seq. Coloss. II, 18. &c. Cum itaque post lapsum homines revelato nondum salutis medio cultum divinæ voluntati conformem præstare non potuerunt; (§. 2.) etiam omnino certum est, quod, si hoc medium esset revelatum, & tamen cultus divinus huic non inniteretur, hic cultus esset Ἐθελοθέρησια, Deoque adeo odiosus. Omnis cultus in internum & externum distingui solet. Uterque itaque cultus determinata ratione Deo placere neque eum placare potest.

Schol. I. Ex his non potest non concipi: duas species Ἐθελοθέρησιας esse possibles: 1) Si homo divino præstisset numini cultum post lapsum; cum nondum redemptor fuisset exhibitus. 2) Si homo revelato redēptionis medio Deum colit; verum non intuitu hujus medii, neque ad præscriptam a Deo ipso rationem tam internam quam externam, quæ quidem in V. T. fuit.

Schol. II. Ἐθελοθέρησια est vox composita, & derivari debet a θέλω & ἐθέλω volo, & θέρησια cultus, religio. Ut adeo vivoci significeret religionem ex mera voluntate absque ullo fundamento & ratione vera Deo præstitam. Vocatur quoque *cultus electius, s. propriæ intentionis,* atque adeo

adeo ejusmodi cultum præstans necessario intentionem habet ex & propter (*non juxta*) opera per cultum illum præstata merita assequendi, & bona merendi. Ex quo fundamento iterum apparet : Ἐθελοθησαί Deo placere & acceptam esse non posse. (per Th, Thet.)

§. 4.

Fundamentum veri cultus divini post lapsum.

Totum religionis veræ & cultus divini fundamentum Primis parentibus post lapsum revelatum & in posteros propagandum legimus Gen. III, 15. ubi Deus redemptorem promittit *ceu futurum*, sive medium reconciliationis hominum cum Deo & sublationis dis-harmoniæ inter Deum & homines per peccata introductæ manifestat. Hoc igitur factum effectum est, ut homines verum Deo cultum præstare, veramque religionem tam internam quam externam (§. 3.) absque ulla ἐθελοθησαί exercere possint, (§. 2.) eademque redemptoris promissione fundamentum totius religionis veræ, in primis autem Messianæ (cf. §. 1. Sch.) sit positum.

§. 5.

Prædicatio medii redemptionis a primis parentibus facta.

Primi parentes non se ipsos solum reddiderunt per peccata infelices ; sed etiam eos, quos erant generaturi ; cum vero iis medium placandi Deum , & infelicitatem & damnationem æternam avertendi ; beatitudinem autem recuperandi esset revelatum ; (§. 4.) dubium non est, quin & hoc medium suis prædicaverint posteris , a) quo & ejusdem medii redemptionis participes fieri , idem sibi applicare & verum Deo cultum præstare possent. b) Et si ponamus, quod Deus præter redem-

redemptionis medium singularem quendam modum primis proposuisset & præscripsisset parentibus, quo vellet ab iis colli eorumque posteris; quid veritati magis consentaneum esse potest, quam hoc: eosdem hunc colendi modum cum suis communicasse liberis atque posteris? c) Licet autem *πάτερ πόδειξω* hic antecedentis veritas poni non possit; ex hoc tamen sequens deducenda erit conclusio: *Si liberi atque posteri primorum parentum singulari ratione & modo coluerunt Deum, qui ex solis rationis principiis iis innotescere non potuerit; quem vero Deus non nisi sub ἐθελοθησκείᾳ post lapsum (cf. §. 3. Sch. 1.) conditione est aversatus, sed potius de eodem gratosam declaravit voluntatem, eundemque ut gratum habuit ratum, imo data occasione & temporis opportunitate eundem expresse præscriptis & precepit: sequitur, ut Deus hunc singularem colendi modum aut iis ipsis præstandum speciatim revelaverit, atque expresse & explicite jusserrit, aut a primis parentibus hunc acceperint Deum colendi modum, qui eundem a Deo revelatum omnino habere debuerunt.* (cf. §. 2.)

a) Non raro a veteribus Adamus primus appellatur verbi divini revelati prædicator & seminatior: quia sine dubio exemplum summi numinis esset secutus, quod ipsum augustissimum prædicandi exordium fecisset tam in statu integritatis Gen. I, 28. 29. II, 16. 17. quam post turpem hominum *αποστασίαν* Gen. III, 9. II, 13. 14. seq. Ut adeo ceu primus homo, ira & ceu primus docttor πρωτ-ευαγγέλιον suis annuciaverit & inculcauerit liberis, doctrinamque de Dei imagine in hominibus per peccata oblitterata & deleta docuerit eosdem. *Vid. Cel. Langs Medicin. Ment. P. I. period. I. §. IX. & X. p. m. 13.* & cf. B. Lutherum in Comment. in Genes. fol. 56; proos, dicentem, parentes Adam & Hervam sibi sepe ac multum concionatos esse de voluntate & cultu Dei. Hoc quidem probabile videtur, quod Adamus adhuc in statu integritatis Evaem prædicaverit legem illam positivam de fructu arboris cognitio-
nis boni & mali non comedendo; cumque post lapsum πέρι-ευαγ-
γέλιον & que ac lex illa ante fatalem *αποστασίαν*, scitu fuit necessa-
rium

DE SACRIFICIO PRIMO

rium homini; dubium supermanet nullum, quin Adamus suis annunciarerit posteris primum Evangelium, & que cum eodem connexa.

b) Si dico: dubium non est, quin &c. mea sententia haec est: maxime esse probabile & extra omnem fere dubitationem positum: primos parentes speciatim vero Adamum liberis suis praedicasse reconciliationis cum Deo medium. Ubi quidem observandum: me hic non intelligere probabilitatem absolutam, ac si pro opposito nulla prius militaret probabilitas & possiblitas; sed duntaxat respectivam, h.e. eam, quae pluribus innititur rationibus, quam probabilitas oppositi: quia alias sine necessitate Deus aliquid facere debuisset, quod tamen per pauca fieri potuisset; cum in subsequentibus temporibus propagatio revelationum divinarum partim per traditionem oralem, partim scripturariam, partim per utramque simul est facta. De hac probabilitatis gradu & distinctione cf. Excell. Dariesi Log. Lat. P. II. §. 2. & 3. seq.

c) Hanc quidem conclusionem in dubium vocabit nemo: quia eandem probabilitatem praesertim fert, quam propter casum similitudinem habet conclusio proxima; hoc tamen discrimine, quod antecedens illius sit evictum & satis manifestum; (§. 4.) hujus vero conclusionis sit tantum hypotheticum, assumptum attamen verum. cf. Excell. Daries. I. c. §. 38. seq.

S. 6.

De vero cultu post lapsum Deo praestito.

Revelato totius veræ religionis post lapsum introducenda fundamento; verum Deo cultum praestare poterant homines tam internum quam externum. (§. 4.) Hunc non solum praestitum esse sacræ innuant litteræ; a) sed simul hujus cultus praesertim externi rationem, conditionem ejusque ordinationem referunt, eamque divino tribuunt numini. Cum itaque ordinatio cultus divini externi seu formale ejus atque existentia, prout quidem in V. T. obtinuit, in voluntate divina habuit rationem; sequitur, ut talis ordinatio cultus divini publici ductu rationis & naturæ disponi atque constitui ab hominibus non potuerit. b)

a) Totus cultus Dei publicus & externus in prima mundi ætate post lapsum absolvebatur i) verbi divini predicatione & nominae Dei invocatione cf.

cf. Gen. IV, 26. Ep. Jud. 14. 2 Pet. II, 5. Gen. XII, 8. XIII, 4. XXI, 33. XXVI, 25. 2) *Sacrificiorum oblatione Gen. IV, 3. 4. ad quem quidem locum B. Lutherus in Comment. in Genes. annotat sequentia: Eſe hoc in loco tantum sacrificii fiat mentio, non etiam predicationis; tam nō statuendum est: non obculisse eos sine predicatione verbi - - sicut etiam invocatio nominis Dei hunc sacrificio fuit addita. Gen. VIII, 20. & rel. Quibus postea Deus addidit 3) usum & observationem sacramentorum cf. Gen. XVII, & Exod. XII.*

b) Sensus verborum meorum hic est: cum Deus ipse cultum externum in veteri testamento ordinavit, constituit, atque dispexit; superfluum hoc omne fuisset, si ab hominibus eadem ratione, eodemque modo ductu rectæ rationis, viribusque naturæ constitui & ordinari potuisset. Atque adeo non ita ratiocinor: Quicquid Deus vult sic voluit; id ratione & natura duce non potuit perfici & ordinari. Atq. E. quia hujus Syllogismi major falsa est; sed meum argumentum hoc est: Cujuscunque existentia, constitutio, dispositio & ordinatio a divina dependet voluntate; id ductu rationis rectæ & instinctu naturæ non potuit constitui, disponi & ordinari. Sed cultus dei externus &c. Adeoque valet etiam conclusio. Propositio major per principia Theol. nat. est concedenda, & minoris veritas ex Sacra apparet Scriptura. Hinc conclusionem nemo in dubium vocare poterit.

S. 7.

Cultus sacrificialis in V. T. ex ratione determinari non potuit.

Maxima cultus divini pars consistebat tempore veteris testamenti præter alios ritus & cæremonias in oblatione sacrificiorum tam cruentorum quam incruentorum, idque ex libris Mosaicis, aliisque satis superque cognoscimus. Horum sacrificiorum usum Deus illustri & solenni ratione constituta hierarchia Israëlitica populo suo præscripsit & jussit, eorumque finis, (de qua infra uberioris agam) præsertim & proxime cruentorum erat: ut repræsentarent & præfigurarent magnum illud sacrificium monadicum a Redemptore pro toto genere hominum Deo offerendum & præstandum; adeoque ut dogma de redemptio-

ne generis humani singulari prorsus illustrarent ratione, futu-
rique redemptoris ejusque sacrificii essent τύποι, & ad Messiam
haberent respectum, qui adeo eorum ἀντίτοπος quod ex tota
S. Pauli epistola ad Hebreos præsertim ex capp. VIII. & VIII.
cf. Es. LIII, 10. col. ad Galat. IV, 1. seq. luculenter appetet.
Cum itaque cultus sacrificialis & generatim cærimonialis in
V. T. ex singulari voluntate Dei est ordinatus & ita disposi-
tus; sequitur, ut sacrificiorum oblatio, & quod Deo accepta ejusque
voluntati sanctissima sit conformis, ex ratione non potuerit cognosci.
(cf. S. 6.)

Schol. I. Quoniam videri posset, ac si hucusque de sacri-
ficiis dicta ad sacrificia tantum Levitica s. ad cultum a
Deo per Mosen solemini ratione & certis legibus definitum
& determinatum essent referenda, quia id, uti Outramus de
Sacrif. L. I. cap. I. p. m. II. ed. Lond. scribit, minime dubitandum,
quoniam Hebreis ex Ægypto egressis, Deus ipse sacrificandi ritum scri-
pta lege institueret; siccirco universalem esse θεον: cultum sacri-
ficialem, ritusque sacrificandi neque ante neque post legem a Deo per
Mosen promulgatam ex ratione recta posse probari & cognosci, ex
sequentibus patebit: Si de cultu sacrificiali instituitur ser-
mo, cuius origo utrum ex sola ratione sit repetenda, nec
ne? dupli modo hæc intelligi & formari potest quæstio:
1) Utrum scilicet possibile sit, quod fuerint homines, qui ex mera &
sola grata a Deo acceptationis sententia, opinione & persuasione sive san-
cta simplicitate per sacrificia aliosque ritus absque ullo alio fundamen-
to Deo praesliterunt cultum, iisdemque Deum placare putaverunt, nec
ne? 2) Utrum ex sola ratione sive principiis rationis tam materiali-
bus quam formalibus nisi certe; tamen probabiliter possit cognosci:
quod cultus sacrificialis s. generatim cærimonialis Deo & sanctissima
ejus voluntati sit accepta, & per sacrificia Deus possit placari, nec ne?
Quæstionem priori ratione intellectam atque determina-
tam facile affirmare, nec non concedere possumus: Etenim

ex

ex insita nostra labe ad ἐθελοθητικῶν inclinamus cf. Matth. VI. Marc. VII. Colossens. II. & ratione actionum nostrarum perlubenter nobis met ipsis aliquid damus, adeoque possibilitatem horum omnium inficias ire non possumus; licet ejusmodi hominum existentia, (quod præsertim Spencerus lib. III. cap. I. & IV. de Leg. Ebraeor. ritual. vult concedi) qui vel absque ulla traditione sive scripti cuiusdam fragmento sive analogia aliorum rituum religiosorum obtulerunt sacrificia, haud probabiliter, me quidem judice, sit concedenda. Posteriori ratione si quæstio instituitur; nemo erit, qui, opposito ceu certum jam supra probato, (§. 3. & §. 2) eandem affirmet. cf. S. R. Ribovius in Th. Dogm. P. I. Sect. II. §. 4I. & §. 42. & Job. And. Schmidius in Breviariorum Theol. Polém. Controv. VIII. p. m. 92. seq. qui ex eadem ratione, qua nos hujus θεωρίας negationem contendamus, veram ecclesiam rationis lumine inveniri non posse, probavit. Et præterea, cum sacrificiorum ritus & oblatio requirit res sacrificiales, quæ vel bruta vel res sunt a brutis diversæ; eo ipso quoque harum rerum oblatio refertur ad finem non essentiale sive ex earum essentia non determinabilem & explicabilem; sed ad accidentalem & respectivam. Si itaque ponamus, quod sacrificiorum oblatio, ejusque grata a Deo acceptatio, ex fana ratione & ejus principiis tam materialibus quam formalibus sive certe sive probabiliter ostendi & probari posset; sequeretur, ut finis quædam rerum sacrificialium (non ut talium) accidentalis & respectiva ex principiis rationis s. a priori posset determinari. Cum vero tantum fines rerum sacrificialium, (non ut talium) essentiales a priori ostendi & evinci possunt; apparet, quod sacrificiorum oblatio, corumque grata a Deo acceptatio ex ratione cognosci nequeat, atque adeo ex speciali lege & præcepto divino in veteri testamento innotescere debuerit. Vid. Cl. Schuberti überzeugenden Beweis, das die Christl. Religion die wahre sei. §. 448. Deum esse colendum, imo etiam externe per actiones scilicet corporis, actionibus animæ harmonicas fana omnino cognoscit ratio cf. J. U. Wolffii teutsche

DE SACRIFICIO PRIMO

Sixten Lehre §. 756. seq. sed unde determinatus ille per sacrificia Deum colendi modus patet? Recte itaque B. Calovius in Bibl. Illust. T. I. P. I. pag. 254, colendum esse, inquit, Deum rationis luce novimus; sed per sacrificia Deum esse colendum ignorat pro�us ratio - - id ratio non percipit, immo pro stultitia habet: quia nullam analogiam invenit inter Deum inimaterialē & res corporeas: neque quomodo victimarum mactatio Deo grata esse possit, asequi valer. cf. Langii Med. Ment. Part. I. per. I. §. XIII. seq. Interim tamen non defuerunt sententiaz hujus fautores & defensores, inter quos prater Grotium, Spencerum, aliosque, a) Gregorius de Valenzia in Lib. I. de Missa sacrificio cap. IV, qui, hunc Deum colendi modum ex ratione, rectaque naturaz humannaz inclinatione profici sci, eademque compulso sum Patriarchas cum idolorum cultores sacrificia obtulisse, contendit.

a) Plures tam ex Patribus quam Judaeis, qui dictante ratione homines ante sacrificia Levirica Deo obtulisse sacrificia statuunt, refert Outramus L.c. §. III. §. IV. V. VI. ubi quidem contra nonnullos notandum putamus: Outramum ipsum (& forsitan quoque alios, qui de hac re dubii pro certo aliquid assumere & defendere nolunt) in horum non referri debere claram, quoniam §. §. cit. historicum tantum agit, & verba p. m. ir: Id unum - - apta satis & idonea, non sua facit; insuperque §. VII. addit: Jam vero licet haud satis constet, (scilicet ex ipsis rationibus & sententiis in utramque adductis partem, & historice enarratis) Deine certe aliquo iussu, an dictante potius humana ratione prima facta sint sacrificia, id tamen &c. cf. §. III. p. m. 3.

Schol. II. Licet demonstraverimus: sacrificiorum oblationem a Deo ipso esse protectam, &, quod ex infra dicendis apparebit, specimen fuisse sapientiaz & benignitatis divinaz; non pauci tamen fuerunt, qui sacrificia, eorumque oblationem impugnarunt contendentes: hac ratione Deum perfectionibus suis egisse contrarie; neque in libris V. T. ullam extare rationem sacrificiorum, nullumque esse determinatum arbitratur, cuius intuitu sacrificia Deo essent oblata. Horum in numerum merito referendus est Tindalius in libro: daß das Christenthm so alt als die Welt sey pag. 149-153. & autor quidam sub litteris A-X. in vernünftigen Gedanken von dem

dem Gebrauch der strengen Lehr-Art in der Theologie; sed horum summa jam refutarunt præter alios generatum. Cel. Carpor. in tract. Rettung der Wahrheit und Unschuld. §. 13. & §. 16. speciatim vero Cel. Schubertus l. c. §. 418, 419, 448. seq. § 472. aliisque anonymous in den Anmerckungen über die Schrifft: Vernünftige Gedancken von dem Gebrauch ic. p. m. 26. seq. Ut adeo superfluum esset; si hac omnia hic repetere vellem.

§. 8.

1) In statu integritatis non fuit sacrificiorum usus & 2) caput totius dissertationis indicatur.

In statu integritatis primi nostri parentes per suas easdemque naturales vires summum bonum sive beatitudinem assequi poterant. (§. 2.) Et quoniam peccatis nondum erant contaminati, quibus dissensus inter Deum & homines potuisse iaduci; hinc quoque medium non erat necessarium, quo ejusmodi disharmonia tolleretur & removeretur. Cum autem sacrificia in veteri testamento medium illud redēmptionis sive peccatorum sublationis præfigurarent, & illustrarent, ejusque essent τύποι; (§. 7.) sequitur, ut status innocentiae omnis sacrificiorum usus fuerit expers, nullosque admiserit medii redēmptionis τύπος. Ex his itaque prono fluit alveo, quod sacrificia post Iapsion demum sint introducta a Deo, (§. cit. Sch. I.) & quoniam ad redēmptionem totius generis humani habuerunt respectum; eodem post factam redēntoris promissionem invaluisse, patet. Atque hic oritur ζήτησις: quodnam & quale fuerit sacrificium primum divino numini oblatum, s. quo prius nullum sit agnoscendum; quæ quidem quæstio totius hujus commentationis finis est & obiectum.

DE SACRIFICIO PRIMO

Schol. Posset etiam sequenti probari ratione: Cultus in statu integritatis Deo exhibendus ductu rectæ rationis & naturæ viribus exerceri adeoque & cognosci poterat; (§. 2.) sed cultus sacrificialis per vires naturales neque innoteſcere neque exerceri potest. (§. 7. cum Sch. Sch.) Cultus itaque sacrificialis e statu innocentiae est eliminandus cf. B. Dorschei verba in Pentad. dissert. Theol. disp. XI. §. 32: qui cum XII. capita ratione offerendorum sacrificiorum observanda esse existimat, inter alia admo- net: quod in statu integritatis nulla futura fuissent sacrificia unquam, qualia in hierarchia Israëlitica; sed demum post lapsum proposita di- vinitus reconciliatione cœperint. Vid. Job. Fecht. Lect. Theol. disp. XIV. ib. VIII. & S. R. Owenii erklärte §. Bücher des Knechts Gottes Moſe. p. m. 595.

§. 9.

Sacrificium primum speciali iussu divino peragendum.

Primum sacrificium, quod speciali iussu ante solemnem illam de sacrificiorum usu & oblatione promulgationem Deus voluit offerri, illud est, quod ex Sacris novimus litteris, & Moses, Gen. XXII. enarrat; cum Deus Abrahamo v. 2. in- junxit, ut filium Isaacum ipſi per sacrificium offerat, sicque primam ^{αρδεωθοστεν} committat. Quamvis autem Isaacus non sit immolatus, (prouti Deus quidem externe intende- rat) a) etiam ex ipsa vera Dei intentione & proposito inter- no; sed aliud sacrificium pro eodem mutatis περιστάσει substitutum; huic tamen alia, eademque non pauca b) præces- sisce ex sacra scriptura fit probabile, & certum quod ad faci- ficia Noachi & fratrum Caini & Abelis; de quibus autem peragendis nullum speciale mandatum in sacra scriptura me- moria proditum legimus. c)

a) Hoc

- a) Hoc illustre atque celebre est exemplum, quod *Kromayerus in Theol. Pos. Polm. art. VI. p. m. 309.* ἀδεσπότον appellat, quo illustrare & probare possumus: voluntatem Dei signi & beneplaciti s. uti alii loqui amant, voluntatem Dei externam & internam non nisi in statu tentationis, probationis, & explorationis hominum differre: finis enim atque intentio Dei non erat: Isaicum per sacrificium vita privari, quod quidem eventus docet; sed tantum Abrahā fidem argue constantiam in eadem, porto ejus constantem fiduciam in promissionis a Deo ipso factas per opera ejus externa explorare atque tentare non quidem proprie & affective; sed metaphorice & effective, quod ipse docent fācīt litteræ v. i. cf. Ebr. XI, 17. Interim tamen in ejusmodi casibus & exemplis temptationum quotquot a Deo adordinatis mox appetit vera Dei intentio & voluntas. cf. *Cel. Carpov, in Tb. Dog. T. I. §. 618. Sch. & Kromayer. l. c.*
- b) Passim in Scriptura Sacra conditorum altarium fit mentio Gen. XII, 7. 8. XIII, 4. 18. atque de iis per inductionem logicam affirmare possumus: horum finem non solum fuisse, ut conditores ibidem verum ac purum Deo prosterrentur cultum, atque ne communes cum impiis haberent ritus; cf. *Matth. Poli Synops. Critic. in Genes. cap. XII, 8.* sed etiam, & quod precipuum erat, altaria in honorem & gloriam summi numinis adificabantur, quo conditores ibi sacris vacare, & Deo sacrificia commodius offerre possent: *Ubiunque enim fit mentio erecli altaris, verba sunt B. Lutheri in Comment. in Genes. f. 360, & fixi tabernacula, ibi significatur constituta ecclesia, in qua convenerunt homines ad docendum, & audiendum verbum Dei, adorandum & laudandum Deum, & ad sacrificandum.*
- c) Nemo non videt: nos hic per speciale mandatum ad sacrificandum ejusmodi intelligere mandatum, quod ipsi sacrificanti a Deo speciatim s. in individuo est datum, cujasque existentiam sive per expressas & explicitas litteras sacras, sive per consequentiam ex iisdem legitimam probare possumus. *Ubi quidem observandum, quod a negato ejusmodi mandato speciale ad plane nullum divinitus datum non valeat consequentia;* quamvis facile appareat, singulares adesse debere res circumstantes, quando superior ad rem quandam perficiendam cuidam tradat iussum speciale, ad quam vel sine eo jam erat obligatus; quod quoque ratione offerendorum sacrificiorum ex exemplo Abrahā supra adducti perspicere possumus, cum ex omnibus elucer: jam tunc temporis adfuisse obligationem divinam ad sacrificia ex rebus puris & sanctis obeunda; non autem speciatim ad ἀρδεσπότον, quod in hac tentatione effecit speciale illud mandatum externae voluntatis divine Abrahā a Deo suppeditatum cum interna non convenientis intentione (not. a.)

§. 10.

De sacrificio Caini & Abelis.

Inter ista sacrificia, quæ absque speciali & expresso iussu divino sunt oblata Deo, primo loco illa sunt ponenda, quæ Cainus & Abelis fratres ex Adamo teste Mose Gen. IV. e proprio cuiusque peculio deprompta Deo obtulerunt, & ante quæ Scriptura Sacra nullius sacrificii Deo oblati expresse & explicite injiciat mentionem. Utrum hæc sacrificia simul & uno eodemque tempore sint peracta; an primum Cainus & interjecto quodam temporis intervallo deinde Abel sacrificaverit; id quidem absque omni exceptione determinari nequit. Quodcumque assumatur, perinde erit. Interim tamen nullum speciale iussum divinum de oblatione horum sacrificiorum sacra refert scriptura; (cf. §. 9. n. c.) adeoque nec opus est, ut ejusmodi statuere atque supplere velimus.

Schol. I. Ante vero, quam continuare possimus, ne per consequentiam idem mandatum speciale ex sacris litteris elici posse videatur, dubiis quibusdam erit occurendum, quibus probetur & evincatur: Abelem ex particulari atque speciali Dei instinctu ordinatione & mandato sacrificasse. Et eadem ex Aegid. de Coninck tract. de sacrament. q. 83. art. 1. dub. 1. p. 299. refert Quensted. in Antiq. Biblic. cap. III. n. 3. p. m. 218. quæ his innituntur rationibus, quia 1) alias respectus Dei favorabilis & gratiosa ejusdem complacentia locum non habuisset, si absque Dei mandato f. χειρατισμῳ sacrificium obtulisset Abel. 2) Hoc modo εθελοθησειαν præstasset Abel, quam tamen omnibus abominaretur modis Deus Num. XV. 39. Deut. IV. 2. Et. XXIX. 13. 3) Paulus Hebr. XI. 4. diceret: Abelem πίστει πλείων θυσίαν præ Caino obtulisse Deo, quod absque speciali verbo Dei & χειρατισμῳ fieri non potuisset. In quibus hæc duo latent ratiocinia:

I. Si

N. I. Si Abel speciale mandatum divinum s. χερματίσμον ad sacrificandum non habuerit; sequitur, ut α) favorabilis respectus Dei ad sacrificium Abelis fuerit ἐν τῶν ἀδυνάτων β) ἐθελοθεσπειαν praestiterit, quam tamen Deus abominaturque γ) Abel πίστει πλειόνες θυσιαν παρακαλεῖ offerre non potuerit. Sed falsum est posterius, ad-eoque δέ prius.

N. II. α) Si favorabilis respectus Dei ad sacrificium Abelis absque χερματίσμῳ Deo oblatum fuisset impossibilis β) Abel absque speciali mandato, Dei sacrificans praestasset ἐθελοθεσπειαν γ) πίστει πλειόνες θυσιαν quam Cainus absque χερματίσμῳ offerre non potuisset Deo; sequitur, ut Abel ex speciali δι-particulari Dei instinctu ac ordinatione sacrificaverit Deo; sed verum est prius, δέ adeo etiam posterius.

Ut itaque ad hæc ratiocinia respondeam; præstruam: ex absentia & defectu mandati specialis ad plane nullum divinitus datum ad sacrificandum N. V. C. adeo que tantum contendō, tale deficere, quod Abeli (pariter & Caino) in individuo contigit, atque in sacris litteris memoriae est proditum, (§. 9. n.c.) consequenter in syllogismo priori nego consequentiam, & in altero antecedentis veritatem. Et si quoque ab improbabili summam, α) quod χερματίσμον ad sacrificandum acceperit Abel; ex eadem ratione sequitur, ut Deus Caini sacrificio favorablem denegaverit respectum, quoniam absque speciali mandato divino vacaverit sacrificiis. Verum enim vero, ut taceam: hoc ipso argumentum quoddam concedi pro eo, quod sacrificia dictante ratione non explicato Dei iussu sint exorta cf. Outram. de Sacrif. lib. I. c. I. §. IV; dilucide apparet, quod sacrificans Abel Deo non fuerit acceptus, quia sacrificavit; sed quoniam πίστει θυσίαν fecit; sacrificiumque Caini Deo non displacevit, quia idem sine χερματίσμῳ obtulit; sed quia impius Gen. IV, 7. cf. 1 Joh. III, 12. & absque fidei in semen mulieris sacrificavit, adeoque ἐθελοθεσπειαν commisit (§. 3. cum sch.) cf. S. R. Owenum l. c. p. m. 30. δ 32. Ut adeo bene Porphyrius, famosus ille apostata, lib. 2. περὶ ἀποχῆς ἐμψύχων dicit: μάλλον το δαιμονιον πρὸς τὸ τῶν θυσόντων θεός, οὐ πρὸς τῶν θυσ-

Θυομένων πληνθός θλέπει. Quemadmodum quoque preclare Plinius in Paneg. c. 3, 5. de hymnis perorat: animadverto, etiam Deus ipsis, non tam accuratis adorantium precibus, quam innocentia, & sanctitate latari, gratioremque existimari, qui delubris eorum puram castamque mentem, quam qui meditatum carmen intulerit.

Nec pro stabiliendo speciali mandato Abeli in individuo exhibito refugiendum est ad dictum Hebr. XI, 4. collat. Rom. X, 14. 17. 1 Thess. II, 13. Generatio enim fidei in homine non solum per manifestationem & revelationem verbi divini speciale & immediatam, prouti prophetis aliisque viris θεωρευσόis contigit, oritur. Sed etiam ex lectio-
ne, auditione & prædicatione ab aliis hominibus facta, fieri posse patet: adeoque ex ipsis scripturæ locis non nisi generalis divinæ voluntatis manifestatio, & mandatum ad sacrificandum inferri potest, quod quidem Abelem habuisse non negamus. Et si quoque non desunt exempla, quibus speciale ad sacrificandum cuidam contigisse mandatum probari possit; ex ejusmodi tamen casibus concludi nequit, semper adesse debuisse speciale mandatum sacrificiale.

- 3) Non incognita esse potest ex Parte Logices, quæ Analytica vocatur, *demonstratio ab impossibili*. Cum itaque Dialetica regulas probabilium explicat, dubium non est, quin ex eadem ratione *demonstratio ab improbabili* medium esse debeat pervenire ad rei alicujus probabilitatem.

Schol. II. Si quoque hac occasione non sunt prætereundi, qui, quod Cainus & Abelis non sacrificaverint ipsis; sed munera & oblationes suas ad patrem Adamum attulerint, ut ille pro ipsis offerret Deo, statuunt. Ut Nerreter in denkwürdigten Juden- und Heiden-Tempel, p. m 6, Heideggeri Histor. Patriarch. T. I. p. 117. idque evincere volunt ex verbis Gen IV. וְכֹל הַבֵּיא וְכֹל קָרְבָּן. Licet autem verbum קָרְבָּן motum inferat localem, ad altare scilicet quoddam, ad actum sacrificiale nec claram; ex his tamen verbis hoc concludi posse nondum video. Et præterea si

iis sacrificiis adfauisset Adamus; ex sua auctoritate & potestate exortas inter fratres lites facile dirimere, & Cainum gratiosam Dei complacentiam Abeli invidentem in bonam reducere potuisset mentem cf. Dom. Winckleri dissertat. *num sacrificia cruenta ante diluvium fuerint ignorata?* §. XII. n. II. not. k. habita sub Presidio Viri Venerabilis & Excellentissimi Domini Job. Christ. Burgmanni incomparabilis Academie Varno-Balticae decoris & Theologi, qui mecum hancce dissertationem nunc nuper, quod quidem in presens publice laudare, eidemque Viro Venerabili submissas agere debo grates, communicavit. Ut taceam, Paulini in epist. ad Hebreos cap. XI, 4. verba: Πιστεῖ πλειόνα Θυσίαν Ἀβελ παρὰ νῦν πέρισσην τῷ Θεῷ, non obscure indicare: Abelem ipsum attulisse Deo s. ad Deum, non ad patrem Adamum, ut hic pro ipso hoc sacrificium Deo offerret, sacrificium suum. Ut adeo ejusmodi facti ellipsis in Sacra Scriptura sine necessitate supplere nolo. cf. Schotani Biblioth. Histor. Sac. Ver. Test. T. I. cap. I. de prima mundi etate pag. 15. & Outram. l. c. cap. IV. L. I. §. III.

§. II.

Continuatio.

Sacra Scriptura non solum Cainum & Abelem sacrificasse; sed etiam utriusque sacrificii materiam, sive res ipsas Deo per sacrificium oblatas ab utroque enarrat. Cainus nimis rur, quoniam agrorum habebat curam, de fructibus & frugibus agri sui fecit oblationem. Abel autem, qui brutorum præsertim mansuetiorum sibi elegerat custodiam, de primis suis gregis, atque primogenitorum adipibus & pinguedinibus obtulit. Non in præsens disquiram, neque ad rem meam pertinet, utrum Abel omnes brutorum sacrificialium partes, an tantum quasdam, quod quidem per **תְּהִלָּה** sacra scriptura innuere videtur cf. Lev. III, 16. IV, 26. 31. 35. IX, 10. sive,

quod Grotius a) vult, planum nullum animal; sed tantum lac pinguisimum atque lanam de brutis viventibus, Deo obtulerit. Sufficiat, quod sacrificaverit uterque, & sacræ paginæ Abelis sacrificium Deo acceptum, Caini autem eidem fuisse odiosum commemorent Gen. IV, 5. simulque referant causam v. 7. quare divinum numen ad sacrificium Caini non gratiōse respexerit cf. I Joh. III, 12. qua nobis occasio præbetur colligendi rationem gratiosæ sacrificij Abelis a Deo acceptioonis, b) quod ex loco ad Hebr. XI, 4. luculentius appetet, atque quare Abelis cultus non fuerit ἐθελοθεσμεῖα (cf. S. 3.)

Schol. I. Non ignota est illa quæstio hoc loco, quæ plerumque moveri solet: *ex quo nimis Cainus perspicere atque colligere potuerit, Deo fuisse acceptum Abelis sacrificium.* Communissima & ab omnibus fere recepta est sententia: (quæ quoque ex versione Theodotionis sacerculo secundo tentata confirmatur, in qua υψη per ἐπενδύσειν effertur,) ex igne coelitus dimisso sacrificium Abelis absidente, & Caini intactum relinquente eundem concludere hoc potuisse, eamque his sufficiunt rationibus, quia non raro in V. T. extarent exempla de exhibito ratione sacrificiorum per ἐμπνευσμὸν favore divino: Lev. IX, 24. I Reg. XVIII, 36. (de quo præsttim loco cf. M. Abelmanni disq. de Sacrificio Eliæ vespertino) I Chron. XXII, 26. 2 Chron. VII, 1. cf. Matth. Poli Synops. Critic. ad Gen. IV. Alii putant: utriusque sacrificium esse accensum; fumum vero de sacrificio Abelis adscendisse, alterius deorsum ivisse cf. Sebāst. Schmidt. in ep. ad Heb. cap. XI. v. 4. Atque hunc ἐμπνευσμὸν teste Job. Caur. Diterico in Antiq. Bibl. V. T. p. 207. Claudius Marius Victor carmine scriptū 2. in Genes. v. 175.

At

Sic olim ante sui præsenſe candidus Abel
Invidiam fratris: nam cum de fruge litasset
Iste sua, niveo ille agno; mox protinus altum
In cœlum ascendit combusto fumus ab agno.

*At contra per inane volans de frugibus illis
In terram redit fugiendi fumus olympos.*

Interim tamen non defuerunt, qui juxta hunc ἐμπνευσμόν adhuc alia posuerunt signa cf. S. R. Oweni lib. cit. p. m. 33. & Sebastian. Schmidt ad b. l.

Schol II. Quoniam nonnulla de sacrificio Abelis & Caini sunt prolata, de eodem porro sequentia (licet ad rem meam non pertinent) observare volo.

N. I. Sacra Scriptura nos docet: Abelem sacrificando non commisisse ἐθελοθησαντα; sed ejus sacrificium Deo fuisse acceptum, ideoque ad idem gratiose respexit eundem. Ex quo apparet, quod ex gratiosa illa Dei respectione Abelis & Cainus, (cf. Sch I.) ipsius sacrificium Deo fuisse acceptum, concludere potuerint.

N. II. Nullus cultus post lapsum Deo acceptus esse potest, nisi qui satisfactioni redemptoris innitatur; (cf. S. 3. & 2.) Cum vero Abelis sacrificans non commisit ἐθελοθησαντα. (n. I.) sequitur, ut ejusdem sacrificium ad futurum Messiam habuerit respectum, idemque vera in eundem obtulerit fide.

N. III. Ex his apparet, quod Cainus & Abelis ex gratiosa illa complacentia divina colligere potuerint: Abelem vera in Messiam fide sacrificasse, non autem Cainum. (n. II. & n. I.)

N. IV. Omnis credens in Christum ejusque satisfactionem justificatur, & coram foro divino pro justo declaratur cf. Act. XIII, 38.39. Rom. III, 26.28.30. Phil. III, 8.9. &c. Hinc ex gratiosa illa Dei respectione convinci potuerunt, (scilicet externe, non interne, quæ interna convictio fide perficitur) Abelem esse justum & justificatum, (n. III.) non Cainum cf. Matth. XXIII, 35. 1 Joh. III, 12.

N. V. Cainus & Abelis, uterque Deo fecit sacrificium. Cum vero Deus ad sacrificium Abelis gratiose respexit, (n. I.)

per quod convicti sunt, Abelem esse justificatum, Cainum non (n. IV.) eo ipso quoque ipse Deus testimonium dedit, sive testatus est de his sacrificiis per testimonium scilicet illud externum. (n. IV.)

N. VI. Cainus interfecit Abelem gratosam eidem complacentiam invidens, quod Moses Gen. IV. enarrat. Hinc quoque adhuc in Bibliis sacris Abel dicitor mortuus, & a fratre suo occisus.

N. VII. Sacrificium itaque Abelis occasio fuit, cur Abel a fratre est occisus, & talis adhuc in sacra scriptura dici debeat.

Atque hisce positis sensum verborum Pauli ad Hebr. XI, 4. Πίστει πλείστων θυσίαν Κύριον παρὰ καὶ προσπήγκη τῷ Θεῷ, διῆς ἐμαχτεῖσθαι εἴναι δίκαιος, μαρτυράντος ἐπὶ τοῖς δώροις αὐτῷ τῇ Θεῷ καὶ διὰ αὐτῆς αποθανόντι λαλεῖται. Intelligere possumus, de quibus ex philologia hæc præmonenda esse puto.

a) Utrum ex vocabulo θυσίας probari possit: Abelis sacrificium fuisse cruentum, valde dubito: Paulus enim dicit, Abelem πίστει πλείστων θυσίαν παρὰ καὶ obtulisse, ex quo sequitur, ut Cainus quoque fecerit θυσίαν. Evidem scio, quod nonnulli dicant: *in hac comparatione comparatorum alterum improprie sumi debere*; Verum quodnam? forsitan Caini θυσία? (ex illorum etiam sententia) Cur autem non eodem jure θυσία Abelis (non habito respectu ad Gen. IV.) Iccirco provocari solet ad dictum Hebr. XIII, 14. Οὐ γαρ ἔχομεν ὅδε μέντοι πόλιν, ἀλλὰ τὴν μελλόταν ἐπιζητούμεν, ubi urbs futura improprie sumi deberet. Sed positō in hoc, aliisque ejusmodi dictis, urbem improprie sumi debere; nullum tamen in his verbis comparationis cuiusdam characterem & notam invenire possum, adeoque ab hoc dicto ad illud N. V. C. Et si θυσία in hoc loco per sacrificium cruentum efferri deberet inusitatus inde hic loquendi modus oriretur: *Abelis præstantius sacrificium cruentum Deo obrulit, quam Cainus, cum tamen certum est; Caini sacrificium in nomine.*

merum cruentorum non debere referri. — Ex quibus concludendum: nomen θυσίας hic esse generale magis, quam speciale, non obstante vocabulo subsequentे τὸ δῶρον; licet aliis in locis etiam scriptorum profanorum sacrificium cruentum designare possit. cf. Winckl. diss. cit. §. VI.

3) Hic quāri potest: utrum δι' ἵνα sit referendum ad τὴν θυσίαν sive τὴν πίστιν. Posterior omnes propemodum interpres assumere palam est; sed quoniam rationem non video hujus; ad τὴν θυσίαν esse referendum probatum ibo. Per quocunque Abel testimonium nactus s. convictus est, ipsius sacrificium a Deo gratiōse esse acceptum, per idem quoque convictus est, ipsum esse justum coram Deo. (n. IV. & n. III.) Sed non per fidem, quia hæc fuit causa impulsiva minus principalis, cur Abel sit justificatus, Deusque ad ejusdem sacrificium respexerit gratiōse; licet internam convictionem fides de facta justificatione in homine efficiat, de qua tamen in hoc dicto sermo non est, quod quidem verba subsequentia μαρτυρεῖν τοὺς ἐπὶ τοῖς δώροις ἀντὶ τῆς θεοῦ. probant. Adeoque sequitur, ut per sacrificium ipsum (cf. Sch. I.) sit convictus, ipsum coram Deo esse justum. (n. IV.) Nec obstant verba vers. 2. quoniam in eodem non legimus, quod veteres per fidem sed in fide εἰς πίστιν testimonium nacti sint, quod quoque Abeli contigisse εἰς πίστιν διὰ τῆς θυσίας defendimus.

4) Verba in hoc commate: μαρτυρεῖντος ἐπὶ τοῖς δώροις ἀντὶ τῆς θεοῦ, plerumque ita efferti solent: testimonium perhibente super donis illius Deo, ut pronomen relativum αὐτὸς non ad Deum (τῆς θεοῦ) sed ad Abelem restringatur. Verum minime hoc convenit cum cap. IV. Genel. hujus historiæ sede: ibi enim non dicitur Abelem ad Deum attulisse τὸ δῶρον sive τὰ δῶρα sed τὸ δῶρον τὸ δῶρον. Consequenter cum dici potest, utrumque Abelem scilicet & Cainum attulisse τὸ δῶρον s. τὰ δῶρα; pronomen relativum αὐτὸς potius ad Deum (τῆς θεοῦ) referri debet quam ad Abelem.

δ) Se-

DE SACRIFICIO PRIMO

δ) Sequuntur verba: Καὶ διὰ ἀυτῆς ἀποθανὼν ἐτί λαλεῖται, a quounque, me quidem sciente, ita versa: *Et per eam (fidem) mortuus adhuc loquitur ubi quoque permulta adduci solent rationes ad ostendendum: quomodo Abelis licet mortuus tamen loqui possit.* Verum ubinam in his verbis exstat, quod mortuus Abelis loquatur? Verbum λαλεῖται certe non per loquitur, quia hoc actionem & illud passionem indicat, sed per dicitur &c. cf. Hebr. XII, 24. efferri debet. (cf.n.VI.) Vid. Strarckii Synopsi Bibl. Exeget. in N. T. ad h. l.

ε) Διὰ ἀυτῆς in hoc loco non ad τὴν πίστιν; sed ad τὴν θυσίαν pertinet, quoniam Abelis non per fidem (neque propter) mortuus sive a fratre suo occisus adhuc in Scriptura Sacra dicitur; sed per sacrificium suum (tanquam causam occasionalem cf. n. VII.) a fratre est interfactus.

Hanc itaque istius loci suppedito versionem: *Fide* (in semen mulieris & Messiam vera) *præstantius sacrificium Abelis Deo attulit, quam Cainus, per quod (sacrificium) convictus est (testimonium externe obtinuit) se esse justum & justificatum, (coram foro divino) testante de donis & oblatis (tam Abelis quam Caini) ipso Deo (per εμπνευσμὸν alia signa Schol. I. cf. n. V.) & per quod (sacrificium ceu causam occasionalem) *mortuus* (a fratre suo occisus) *adhue* (scilicet in Scriptura Sacra) dicitur.*

Schol. III. Ejusmodi sacrificia, quale obtulit Abelis, semper fuerunt cruenta; adeoque Abelis quoque fuisse cruentum non dubitamus. Cum vero idem factum est vera in Messiam fide; idem fuisse propitiatorium, & reconciliacionem cum Deo habuisse pro fini, per inductionem omnium exemplorum colligimus. cf. Dom. Winckleri dissert. cit. §. V. VII. XI. seq.

a) In Comment. in Genes. ad h. l. Cujus interpretationis occasionem refert *Outramus de Sacrif. lib. I. p. m. 4. ed. Lond.* contra quam vero interpretationem & explicationem summo jure disputat B. Calovius in *Bibl. Illustrat. T. I. ad h. l.* & Schotanus in *Bibliothec. Hist. Sac. Vet. Test. T. I. cap. I. p. 18.*

b) Non-

b) Nonnulli quoque diverse horum sacrificiorum acceptio[n]is rationem in ipsa sacrificiorum diversitate querunt: quia in tam breviter de his sacrificiis historia exarata praecepit & expresse diversa sacrificiorum materia commemoraretur a Mo[ise]; licet idem quoque concedant: istam diversitatem ex diversis animi motibus, quod quidem in §. assertum, ad sacrificandum esse ortam cf. allgemeine Welt-Historie T. I. p. 158. n. 138.

§.

12.

Cainus & Abeli sacrificiorum notitiam a parentibus habuerunt.

Nunc quoque demonstrare potero primos in mundo ab hominibus procreatos & generatos a parentibus suis, Deum sacrificiis esse colendum didicisse: cum enim Cainus & Abeli, quod quidem per se patet, per sacrificiorum oblationem cultum Deo praesisterunt prorsus singularem; haec vero sacrificiorum oblatione ductu rationis recte & naturae non innotescit, nec nota esse potest (§. 7. Sch. I.) eandemque Deus approbavit, (§. 11. Sch. II.) imo & solenni modo populo Iudaico prescripsit, (§. 7.) atque eo tantum casu sacrificia estabominatus, quando fuerit ἀθλοθεστα (§. 11. Sch. II. & §. 10. Sch. II.) luculentissime inde sequitur, ut hunc Deum colendi modum & rationem vel a Deo ipso immediate sive per speciale mandatum didicerint, vel a parentibus suis acceperint; (§. 5.) cum vero prius improbabile & falsum esse jam supra evictum est; (§. 10. Schol. I.) posterius itaque omni vacare debet dubio, quod Adam scilicet liberos suos sacrificiorum oblationem docuerit, atque hi mandatum sacrificandi ab illo acceperint.

Schol. Quicquid ex principiis legitime deductum hic proposui, id jam a multis retro lustris creditum & ut credi dignum est propositum: ita enim Naueerus teste Schorano

DE SACRIFICIO PRIMO

I. c. p. 13. & Calovio I. e. pag. 254. ait: Creditur Adam, qui \mathfrak{G} propheticæ dono forebat, a) docuisse decimas \mathfrak{G} primicias offerre Deo vel sacrificia. Quod quoque Poverius in Comment. in Genos. cap. IV. v. 2. docet, si putat Adamum, sacrificandum esse, docuisse filios, qui hoc a Deo esset edocitus cf. Langii Med. Ment. P. I. per I. §. IX. & X.

a) Qui Adamum prophetam fuisse defendant, ii plerumque provocare solent ad Gen. III. 20. quo quidem loco Adamus uxorem ipsi a Deo associatam nominaret **רוּחַ**, ejusque denominationis rationem subnecet ret Moses his verbis: **כֹּהֵא רָוּחַ אֶת־כָּל־חַיִּים** quæ verba de promissio mulieris semine essent explicanda, non de genere humano propagando. Verum hæc sententia tunc demum locum habere posset; si particula **כָּל** esset omessa, quod ex sequentibus apparebit luculentius. Cum enim Deus primis parentibus legem illam positivam de fructu arboris cuiusdam non comedendo daret; statim alteram legis partem sanctionem scilicet penalem addit Gen. II. 17. **כִּי־מְתֻחָה כִּי־בַּיּוֹם אֲכַלְתָּ**, quorum verborum uberiorem rationem ac sensum explanavit Pl. R. & Cl. M. Chrysander in Comment. de primo primorum hominum peccato §. 48. p. 78. Hæc licet adjecta esset poena; nihilominus tamen hanc violarunt legem. Evidem credo, quod peracto peccato Adamus in memoriam revocaverit penam illam cum lege ista a Deo connexam, atque ex eadem conculcerit, se statim, quod quidem per **בַּיּוֹם** indicari videtur, cum sua uxore esse moriturum, atque adeo generis humani propagationem ex ipsis fieri impossibilem; cum vero Deus pro summa, qua pollet, misericordia promisso redemptore longiorum quamvis calamitosam & magnis difficultatibus ac molestis obrutam vitam iis promitteret & concederet, se errasse facile perpicere poterat Adamus, seque cum uxore sua genus hominum esse propagaturum, consequenter suam uxorem omnium, qui essent victuri, viventium (uti Moses loquitur) fore matrem. Ut adeo Adamus sua uxori nomen dederit cum ipsis statu optime conveniens.

S. 12.

De sacrificiorum fini.

Ratio, cur sacrificia a Deo in veteri testamento sint instituta arque ordinata, erat. I. ut præfigurarent & repræsentarent totum redemtionis opus, & redemptorem cum suis beneficiis

ficiis & operibus tempore carnis suæ præstitis, obscuriori quædam ratione, & umbratili quasi lineamentorum primorum descriptione in Vet. Test. proponerent cf. Sal. Glash. in Phil. Sacr. Lib. II. p. m. 445. (cf. §. 7.) Ut adeo sacrificia essent τύποι redemptoris ejusque satisfactionis cf. Outram. de Sacrif. L.I. cap. XVIII. Hæc cum ita sint II. ex his veteris œconomia viatores colligere & recordari poterant beneficia gratiæ a redemptore tempore suo acquirenda & per sacrificia τυπικῶς & moraliter iam acquisita, itemque pias cruentæ immolationis redemptoris instituere considerationes cf. Quensted. Antiq. Biblic. p. m. 219. consequenter III. non frustra hæc omnia esse; sed homines peccatores esse, in quorum gratiam hæc omnia ita essent, facile cogitare poterant, adeoque memoriam, recordationem & agnitionem peccatorum instituere debebant Hebr. X, 3. Lev. XVI, 21. His omnibus IV. accedebat, ut sacrificia immundos homines sanctificarent πρὸς τὴν τῆς σαρκὸς καταρότητα; qui tamen ἀγενήσιμος respectum habebat πρὸς τὴν τῆς συνειδήσεως ἀπὸ νεκρῶν ἐξαντλούσας τὸ λατρέυειν Θεῷ ζῶντι Hebr. IX, 13. 14. cf. Num. XIX, 9. 12. 17. 18. per effusionem sanguinis Christi s. ejus sacrificium præstitam & effectam, adeoque juxta sacrificia oblata per fidem in meritum redemptoris, & sacrificium illud Monadicum a Messia præstandum omnium bonorum œconomia gratiæ participes siebant homines cf. Lev. I, 3. 4. & eadem impetrabant, quæ redemptor per satisfactionem physicæ præstitam acquisivit hominibus, consequenter Deus bona gratiæ sacrificantibus vereque credentibus & peccata confitentibus applicabat. Hinc evenit, ut prima ratio finis sacrificiorum typicus; altera evangelicus; tertia legalis; & quarta applicativus no-

minetur cf. Quenst. l.c. p.m. 219, § 227. Pluribus de sacrificiorum fini.
cf. Outram. l.c. & S.R. Owenum l.c. p.m. 597.

Schol. Cum recordatio & agnitus peccatorum lege perficitur Rom. III, 20. VII, 7. & acquisita per redemptorem salutis & bonorum salutarium evangelio & illuminatione evangelica cf. 2 Cor. IV, 6. 4. hic fundamentum denominationis ratione finis sacrificiorum legalis & evangelici perspicere possumus.

§. 14.

De Sacrificiorum necessitate hypothetica.

Hypothetice necessarium dicitur, cuius oppositum in eodem sub certis quibusdam ~~περισσαστι~~ considerato adesse nequit. Cum itaque redemptor generis humani tempore veteris testamenti adeoque & Adami esset futurus, & nemo sine recordatione & apprehensione ejus fiduciali salvus fieri posset; (cf. §. 13.) quæ vero propter ejusdem futuritionem, adeoque pro temporis statusque tunc præsentis & hominum conditione facile poterat negligi & oblivioni tradi; sub his rebus circumstantibus præsencia externorum quorundam in sensu incurrentium, quibus memoria redemptoris & bonorum spiritualium excitari poterat, non erat contemnenda; quæ vero externa similitudinem quandam (quod ex præceptis cognitionis symbolicæ quoque notum est) cum iis omnibus haberent necesse erat. Cumque sapientia divina ad hunc finem obtinendum elegit sacrificia, quæ teste Scriptura Sacra παρεβολην τινα cum sacrificio Christi cruento habebant Hebr. IX, 9. sequitur, ut sacrificia tempore veteris testamenti propter finem essent necessaria hypothetice, & sapientia divina specimina. Ut adeo nullis interjectis impedimentis nec negligi neque intermitti deberent;

licet

Ilicet salus æterna sine iisdem sed absque eorum contemtione, & malitiosa ac culposa neglectione, in veteri testamento posset obtineri. cf. Cel. Stapffer. Inst. Th. Polem. T. I. §. 1612. seq.

§. 15.

De discrimine rerum sacrificialium generum.

Quod ad materiam sacrificiorum sive res sacrificiales attinet; exdem in V. T. divina voluntati debebant originem: non solum enim in solenni ista reformatione & adordinazione cultus divini res sacrificiales a Deo determinabantur. Sed jam ante eandem quoque earum discrimen ex Scriptura Sacra non est ignotum.

Sic legimus de Noacho, quem Petrus 2 ep. cap. II, §. 17. οὐκέτι δικαιοσύνη a) appellat, quod post καταλυσμὸν Deo obtempererit sacrificium ex brutis & volucribus mundis variis generis Gen. VIII, 20. b) adeoque jam tunc temporis differentia innotuit animalium, respectu sacrificiorum, in monda, & immunda. Quam differentiam jam ante inundationem universalem fuisse notam ex Gen. VII, 2. 8. appetet.

Porro, cum Cainus & Abel Deo sacrificarent; illius sacrificium erat περὶ τῶν αἰψύχων & hujus περὶ τῶν ἐμψύχων, consequenter cruentum & illius incruentum; (cf. §. 11. Sch. III.) adeoque jam in prima mundi ætate differentia rerum sacrificialium in animatas & inanimatas, in cruentas & incruentas fuit nota.

Sed nullibi fundamentum rerum harum ad sacrificia veterinarum distinctionis queri potest, nisi in sapientia & sanctissima Dei voluntate: (cf. §. 7.) cuiuscunque enim generalis conce-

ptus ex rationis principiis tam materialibus quam formalibus non innescit; eiusdem & specialis determinatio ex iisdem nota esse nequit; con sequenter a divina voluntate rerum harum determinationem specialem dependere dubio caret.

Schol. I. *Arbitrarium dicitur, quicquid a libertate hominum dependet s. cuius existentia ratio in anima nostra quarenda est. Ill. Wolffii Metaph. §. 518;* Cum vero res sacrificiales ab hominum ratione non sunt determinatae; etiam earumque discrimen a voluntate hominum libera non est ortum; adeoque sequitur, ut res sacrificiales non fuerint arbitraria, immo & earum discrimen. cf. Lev. X, 1. 2; nisi easdem res arbitrarias esse dicere velimus arbitrio, quod ajunt, regulato, sive regulis & legibus adstricto.

Schol. II. Si quis vero rationem scire vellet, cur Deus alia bruta ad sacrificiorum usum utilia & munda, alia immunda declaraverit; ille bene perpendat, quod Deo ejusque summa sapientia, secundum quam semper optime agit, ita placuerit intuitu sacrificiorum ejusmodi brutorum differentiam eligere, & alia ad hanc, alia ad illam referre classem. Qua quidem occasione silentio præterire non possumus, quod non pauci ex discrimine animalium ante diluvium usitato in munda & immunda colligere velint: jam ante idem carnium esum fuisse in usu, & more non prohibito, quoniam ex Gen. VII, 2. & colpata ac arguta in ante diluvianis hominibus gula Luc. XVII, 27. colligi posset: illud discrimen non soluis sacrificii sed & cibi causa esse a Deo ordinatum cf. Danbaueri Politic. Biblic. Sect. I. §. V. p. m. 12. Ut adeo Ourram. l. c. cap. VIII. §. III. p. m. 84. Eorum autem dicitur quae & oblata, & ritu sacro consumpta erant, alia erant ex inanimis, alia autem ex animantibus, omnia fere ex eis lecta, que in humano victu erant.

9) Notabiles quoque illæ sunt denominations, quibus *a Phil. Jud. & Theodor.* ornatur Noachus; cum ille cum tèlos καὶ αὐχὴν αὐδεωπων; hic

hic vero σπέρμα τῷ γένεσι καὶ ρίζαι τῆς Φύσεως καὶ δεύτερον Αδαμ appellat, cf. Ill. Kippingii diss. de Sacerd. N. T. cap. V. §. XLVIII. Interim tamen ex appellatione Petrina concludere possumus: Noachum divinam voluntatem de redēctione generis humani prædicasse suis præsertim liberis, quæ redēctio justitiam coram Deo acquisivit nobis Rom. III, 15. eosque eruditissime de vero cultu divino tam interno quam externo, de quo quidem subsequens sacrificium testatur Deo post κατακλυσμὸν a Noacho oblatum. Cumque ex paritate & causa suum similitudine argumentum pro probabilitate alicujus rei ducipotest; Noachus vero post inundationem universalem & Adamus itadem & similibus circumstantiis & rationibus fuerunt circumscripsi ac involuti; non obscurum inde apparet novum robur, ulteriorque probatio eorum, qua §. 12. & 5. sunt dicta: Adamum scilicet quoque fuisse τὸν κήρυκα δικαιοσύνης καὶ θυσίας.

- b) Non equidem quendam fore puto, qui opponat: Noachum Deo non fuisse oblatum bruta immunda, quia hoc supponit fundamentum distinctionis horum brutorum ex ratione posse suppeditari, quod tam longe a veritate est alienum quam id, quod bruta quædam per se sunt munda; alia vero non.

§. 16.

Primi parentes suos liberos finem sacrificiorum, necessitatem hypotheticam, & discrimen docuerunt.

Cum primi parentes suos liberos instruxerint de sacrificiis, eorumque oblatione; (§. 12.) dubium non est, quin & eosdem edocuerint sacrificiorum finem, (§. 13.) necessitatem hypotheticam (§. 14.) & discrimen (§. 15.) ratione rerum sacrificialium observandum.

§. 17.

Deus ipse Adamum docuit cultum sacrificialem.

Huc usque probavimus: Adamum suos instruxisse liberos de sacrificeationibus, earumque oblatione; (§. 12.) Verum hic oritur quæstio; unde Adamus sciverit: sacrificia, cultumque sacrificialem Deo esse gratum & acceptum? Ab aliis scilicet mortalibus horum omnium notitiam non habere, neque ductu rationis recta

rectæ & naturæ idem innotescere eidem potuit; (§. 7.) sequitur itaque ex his, ut Deus ipse Adamum de sacrificiis, cultu sacrificiali, & de iis, quæ cum eodem connexa (cf. §. 16.) informaverit, hanc que suam economicam de typico sacrificandi ritu (cf. §. 13.) voluntatem Adamo aperuerit. (§. 5.)

Schol. Si asserimus: Adamum a Deo ratione offerendorum sacrificiorum esse instructum; non quidem *Evan* plane excludendam volumus. Interim tamen, cum nunquam in sacra scriptura legimus: Deum cum & de Eva toties esse locutum, quoties cum & de Adamo tam ante quam post lapsum sit locutus; per inductionem etiam colligere possumus: Deum instruxisse Adamum post lapsum cum mandato sive explicito sive implicito, dogmata ab ipso acceptata tam cum uxore quam liberis communicandi, siveque in posteros propagandi.

§. 18.

Et quidem post Iapsum.

Cum in statu innocentia sacrificiorum usus non fuit; (§. 8.) post lapsum vero cultus Deo neque externus neque internus revelato nondum redemtionis medio præstari poterat; (§. 2.) apparet quod, cum Adamus a Deo cultum sacrificiale didicit, (§. 17.) Deus Adamum de eodem post lapsum & redemptoris promissionem factam instruxerit.

Schol. I. Videmus itaque, quod Deus non solum primis parentibus medium redemtionis revelaverit, cui totus post lapsum Deo acceptus cultus (cf. §. 3. & 2.) inniti debeat; sed etiam rationem & modum mox post eundem dederit, quo tunc temporis ab hominibus externe voluerit coli & venerari, adeoque non exiguum sapientia & benignitatis specimen exhibuerit.

Schol.

Schol. II. Eandem, quam quidem demonstravimus, sententiam, sovet his verbis Quenstedius l. c. p. m. 219: Nullum dubium est, cum prima foderis instauratione per prot-evangelium simul institutam a Deo, atque Adamo esse imperstantam sacrificiorum religionem.

§. 19.

Speciatim § in individuo.

Summum numen Adamo sacrificia, cultumque sacrificialem post lapsum præcepit, & de eodem eundem instruxit; (§. 18.) cum vero hanc informationem, per expressas Sacrae Scripturæ litteras non evicimus; sed per consequentiam ex iisdem legitimam, (§. 17.) sequitur, ut informatio illa Adamo contingit speciatim § in individuo. (§. 9. n. c.)

§. 20.

Deus Adamo dedit legem sacrificialem.

Norma § regula actionum seu ad quam actiones sunt conformanda lex dicitur, & positiva quidem divina, quatenus ipse Deus dedit eandem. a) Cum itaque ipse Deus Adamo docuit sacrificiorum oblationem, finem eorum esse salutarem, necessariamque requirere observationem divinæ accommodatam voluntati; (§. 17.) eo ipso quoque Adamus a Deo accepit regulam & normam, ad quanæ actiones suas religiosas easdemque externas attemperare debuit; adeoque sequitur, ut Deus Adamo dederit b) legem de sacrificiorum oblatione, § qua cum eadem connexa, que lex sacrificialis appellari potest.

- a) Actiones nostræ secundum regulas quasdam esse determinandas per se patet; verum hæ regulæ vel ex naturæ nostræ indole sequuntur, vel ab alio, qui nobis superior, exhibentur. Priori modo appellantur *regulae istæ naturali*, & posteriori *positiva*. Superior ille est vel homo, vel Deus, consequenter *regula istæ positiva* sunt vel *humana* vel *divina*.

- a. Regula actionum dicitur lex; adeoque dantur leges naturales, & positive eternique vel divina vel humana.
- b) Quoniam hæc lex ex ratione innotescere non potuit, (§. 7.) insuperque Deus eandem Adamo manifestavit; (§. 17.) facile concludere possumus; hanc legem sacrificialem fuisse positivam divinam. Quod generatim de legibus positivis divinis est affirmandum cf. *Cel. Carpo. Theol. Dogm. T. I. §. 110. Schol. vid. S. R. Baumgarten in Thol. Moral. §. 24.*

§. 21.

Continuatio.

Legem alicui dare idem est ac quendam obligare, ut actiones suas huic attemperet legi. Cum itaque Deus Adamo dedit legem sacrificialem s. de sacrificiorum oblatione, ejusque oblationis ratione; (§. 20.) consequens quoque est, *ut Deus Adamum obligaverit ad istam servandam legem.* Quod autem hæc obligatio fuerit positiva divina docet §. cit. not. b.

Schol. Omnis lex duabus absolvitur partibus, propositione scilicet legis ipsa, & sanctione poenali sive representatione malorum ex omissione partis prioris legis fluentium. Cum itaque Deus dedit legem Adamo sacrificialem; (§. 20.) hinc & lex illa duabus illis haud carere debet partibus, quarum altera ex ipsa paragrapho citata non potest non elucere, altera in non-acquisitione finis salutaris (§. 13.) propter necessitatem hypotheticam (§. 14.) cum salute æterna connexæ ex intermissione istius legis culposa & dolosa consistit pro temporis statusque conditione & ratione. (§. cit.)

§. 22.

Desiderium primorum parentum de reconciliatione cum Deo post lapsum.

Quam calamitatem & miseriam tam ratione corporis quam animæ per peccata sibi contraxerint primi parentes, id lis ipsis optime notum esse potuit. Credibile imo certum mihi

mihi videtur, quod rebus ita se habentibus desideraverint anxie a) atque optaverint, quo ea, quæ per lapsum erant deperdita & amissa, feliciter restituuerentur, recuperarentur, emendarentur, & facta insecta fierent. Quocirca arbitror, ac plane mihi persuadeo, quod, si modum ac rationem scivissent, quam ad expiationem & reconciliationem cum Deo, ad remissionem & plenariam omnium peccatorum exterminationem, ad restitutionem & recuperationem deperditorum & amissorum bonorum potuissent adhibere; hunc modum, banc rationem, & hoc medium adhibuissent, eodemque usi essent; licet magnis & gravissimis conjunctum fuisse operis atque rebus.

a) Cum primi parentes ex statu integritatis per peccata in statum lapsus & iræ divinæ pervenerint; sine dubio rationes & conditiones utriusque status ponderare, & prærogatiæ statu prioris prestatu subsecuto perspicere potuerunt & quidem melius ac vividiæ quam illi utrumque non experti statum. Licerat itaque sint lapsi; nihil minus tamen permanerunt ratione, conscientia, & memoria prædicti, consequenter statum lapsus afferari, & oppositum apperere potuerunt. Hoc autem adūratoy fuisset; nisi simul appetiissent sublationem hujus status malii, sublationisque medium. Cum vero hoc medium ejusque ratio & conditio ex fana rectaque ratione iis non esset nota; (cf. §. 2.) etiam nec determinatum illud medius, prouti quidem in præsens ex revelatione divina nobis innotescit, appetere & desiderare poterant. Atque hoc sensu verum est; si nonnulli dicunt; *homines in statu lapsus consideratos neque appetere neque desiderare potuisse sese ex malo liberanda, & pristino statu restituendi cf. Cel. Staufferi Inst. Theol. Polem. T. I. §. 887. collat. Cel. Carpon. Th. Dog. T. II. §. 820. Sib. 2.*

§. 23.

Adamus pro se & sua uxore sacrificavit.

Cognoscimus ex Sacra Scriptura, & ex iis, quæ modo dicta, quod Deus primis parentibus, totique generi hominum dederit redemptorem & peccatorum expiatorem, (§. 4.)

atque de hoc redemptore propter res circumstantes (cf. §. 14.) certos ordinaverit *ritus*, qui erant sacrificia. (§. 13. & 7.) Cum itaque Deus ipse de oblatione sacrificiorum informavit Adamum, (§. 17.) eidemque legem dedit sacrificialem (§. 20.) & eum obligavit; (§. 21.) nonne certo certius est, quod primi parentes redemptorem promissum, ejusque satisfactionem apprehenderint, ac secundum ordinem a Deo praescriptum cultum observaverint externum, sacrificia obtulerint, omniue ratione isti obligationi a) conformiter egerint? (§. 22.) Ejusmodi certe negligentia & malitia primos parentes sub miseria iis circumstantiis accusare nolo. Et quamvis nullibi in sacris litteris poenitentia & fidei Adami & Eva occurrat mentio expresse & explicite; verum ex scripturæ silentio rei ipsius negationem aut ejusdem affirmationem; quis elicere poterit? neutri hoc silentium inserviet. Sequitur itaque, *ut Adamus pro se suaque uxore Deo sacrificium mox post promissionem redemptoris (§. 18.) vera in eundem fidem obtulerit. b)*

a) Cum nemo contrariam sententiam: Adamum scilicet istam neglexisse obligationem, probare poterit: posita ista lege sacrificiali a Deo data; etiam ex principio discipline moralis thesin istam defendere possemus, magisque stabilitate; nisi dubitaremus fore quosdam, qui eandem vocarent in dubium.

b) Nusquam in Sacra scriptura legitur: quod scemina quedam vacaverit sacris aut Deo ipsa sacrificia obtulerit: ante Mosis enim tempora hoc munus primogenitis fuisse proprium probabilior fert sententia Gen. XLIX, 3. Coll. XXIX, 32. vid. Ill. Kippingii dissertat. §. 1. de Sacerd. N. Fœd. §. 3. p. m. 5. cf. Quenstedt. l. c. cap. I. n. 2. Et Ricetus in Comment. in Genes. capi XXV. Exercit. CXXV. p. 572. *speciales primogenitorum prærogatiwas referente eandem his verbis comprabat sententiam: Recepta est opinio, ante legem (per Mosen latam) primogenitos fuisse successores sacerdotis in familiis.* Quamvis in prima mundi ætate hoc ita non fuisse ex Gen. IV. constet (§. 10. Sch. II.) cf. Outram. l. c. L. I. c. IV. Omnipotens vacat dubio: Adamum pro se ipso suaque uxore sacrificasse. (cf.

(cf. §. 17. Sch.) Quemadmodum pro se suisque immolaverunt Noe Gen. VIII, 20. & Jobus Job. I, 5. cf. *Ourrām l. c.* Exempla quidem tam in V. quam in N. T. adiunt, quibus probari potest: fœminas nonnullas prophetarum dono fuisse instructas e. g. *Miriam* Exod. XV, 20. coll. Num. XII. *Deborah* Judic. IV, 4. *Ananias* Luc. II, 36. *siliusque Philosophus* Act. XXI, 9. Verum donum illud cum munere sacerdotali neque semper neque necessario fuit coniunctum, licet viri quidam prophetarum existenterint, quisimul munera sacerdotii sunt functi e. g. *Jehosaphat* 2 Chron. XX, 14. *Zacharias* XXIV, 20. *Jeremias* I, 1. *Ezechielis* Ezech. I, 3. &c. cf. Ccl. Carpov. Theol. Dogn. T. II. §. 465.

§. 24.

Adami sacrificium fuit primum.

Adamus & Eva primi sunt homines a Deo creati, primi que sunt, qui peccatis sese contaminarunt. Cum vero Adamus is fuit, qui legem sacrificialem a Deo accepit, (§. 20.) & pro se suaque uxore sacrificium obtulit Deo; (§. 23.) sequitur, ut ille primus fuerit, qui fecit sacrificium, cuiusque sacrificium fuerit primum sive quo nullum prius possit statui. (J. 8.)

§. 25.

Transitus ad probationem existentia sacrificii Adamici ex Genes.

III, 21.

Omni ulteriori probationi supersedere possemus existentia sacrificii cuiusdam, quod Adamus pro se suaque uxore obtulit Deo; (§. 23.) nisi ex facto quodam, quod Genes. III, 21. memoriarum est proditum concludendi ansa suppeditaretur nonis atque occasio: mox post promissionem redemptoris ab Adamo Deo fuisse oblatum sacrificium. Factum ipsum his proponitur verbis: יְעֵשׂ יְהוָה אֱלֹהִים לְאַרְצָה וּלְאֶשְׁתָּו כְּתֻנוֹת עֹור נִילְבְּשָׂה.

§. 25.

In statu integritatis vestimentorum usus non fuit.

Et quo clarius horum verborum sensus constet; sequentia ad illustrationem notari possunt. Cum primi parentes in peccata essent prolapsi; morti & infinitis aliis incommodis ac malis obnoxios esse factos ex sacris apparer litteris cf. Gen. II, 16. Rom. V, 12. VI, 23. Ex quibus sequitur, ut homines in statu integritatis fuerint impossibiles & immortales. a) Ut adeo materia corporis constans cum materia variabili; sed simus impetum, ut aijunt, facienti in exactissima fuerit harmonia, sive ut cum B. Bajero in *Theol. Posit. P. I. cap. IV. §. XIV. not. d. loquar.* in statu integritatis necessitas moriendi absuit, & potentia proxima; cum qualitates elementares, licet ex se contrarie; nibilominus accuratissima harmonia temperata essent, ut passioni, que ad interitum tenderet, locum non darent. Quibus omnibus edocemur, quod homines in statu innocentia non opus habuerint tegumento quodam ac suppellestili ad avertendos a rebus circumstantibus & externis effectus sensibiles & insultos odiosos. Et quoniam animi motus in eodem statu erant ordinati atque sancti; tunc nullæ cupiditates libidinosæ, nec alii motus peccantes in homine existere poterant, ex quibus tardium & pudor oriri potuisset, consequenter ad tales motus refranndos & tardium supprimendum nulla aderat ratio sive per suppellestilia sive per alias res cf. *Cel. Carpor. Th. Dogm. T. I. §. 1434. 1452. Sch. I.* Cum autem in his vestimentorum finis consistit cf. *Illust. Wolffii Sitten-Lehre §. 490. seq.* apparent, quod vestimentorum vestium usus in statu integritatis non fuerit.

a) Si

- 2) Si recentiorum philosophorum hypothesin illam celebrem assumimus: quod nimurum Angeli sive spiritus finiti corpore quodam gaudeant, sive his spiritibus aliquid corporei sit junctum, *quam praeipue defendunt ILL. Bulfingerus in dilucidat. Philosoph. §. 366. Et Excell. Canz. in Civ. Des. Sc. II. c. 3. §. 18. Cf. aus den Belustigungen des Verstandes und Witzes von August Monat des Jährs 1744. Rörige Untersuchung, ob die Engel Körper haben, sequitur, ut spiritum moraliter scilicet bonorum corpora ita constituta esse debeant, ut per idem corpus actiones spiritus ipsius non turbentur nec deperdantur; neque actiones tam spiritus quam motus corporis istius cum eodem juncti inter se dissentiant. Hinc itaque apparet, quod neque per principium intrinsecum neque per res circumstantes sive externas ad actiones & motus sibi & spiritibus, quibus juncta, damnosos & periculosos determinari debeant ejusmodi corpora, h. e. corpora illa sunt impassibilia & immortalia. (sensu recepto) Posita itaque ista hypothesi non male ad homines in statu integritatis applicatio fieri posset ad probandam horum corporum impossibilitatem & immortalitatem. cf. Cel. Wideburgius in appendice dissert. de Pondere planetarum.*

S. 27.

Post lapsum vestimentis indigent homines.

Notissimus est ille Metaphysicorum canon: *Remota causa, removetur quoque effectus, qui per eandem est.* Cum itaque primorum parentum massa sanguinea per esum fructus illius vetiti destrueretur, quod ex ipsis scripturæ verbis Gen. II, 17. apparet; a) non amplius homines impassibiles & immortales esse & manere poterant, (§. 26.) quia propter constitutionem & corporis hominum mutationem ex comedione illa fatali ortam res externæ & circumstantes suis viribus & insultibus odiose & incommodo afficere poterant corpus humanum cf. Cel. Carpon. Th. Dogm. T. I. §. 1434. Cum autem hæc incommoda ope vestimentorum & suppellectilium ex parte saltim supprimi, & removeri posse experientia quotidiana docet; cf. ILL. Wolffium l. c. sequitur, ut post commissum peccatum primi homines iisdem indigerent.

a) Fru-

a) Fructum illum arboris istius hominibus in statu integritatis fuisse periculosum, ex tristissimo eventu, omniumque Adamigenarum exemplo & experientia stabiliri potest; Atque ex omnibus apparet *מִזְבֵּחַ תְּמִימָה*, summum numen per verba *תְּמִימָה* hoc loco præcipue intelligere mortem *σωματικήν* (licet mors spiritualis & eterna non sit excludenda propter vim arboris destructoriam, quam copiose & erudite demonstravit Pl. R. M. Chrysander l. c. §. 45. & 48; nisi ex supernaturali quadam ratione mortem *σωματικήν* homini evenisse & accidisse spiritualem solum statuentes defendere velimus cf. Cel. Carpov. Th. Dog. T. I. §. 1503. Et hanc duplēcē mortem, *σωματικήν* scilicet, & animæ (quæ posterior spiritualem & eternam involvit) teste Majo in Synopsis. Th. Jud. p. m. 110. R. Joseph Albo de fundam. L. IV. cap. 41. non procul ab initio statuit, scripturam sacram duplicatione (*תְּמִימָה תְּמִימָה*) innuere cf. Sal. Glassius in Ph. Sac. L. III. Tr. III. can. XXXV. p. m. 862.

§. 28.

Que sibi pararunt primi parentes.

Simulac primi parentes sua culpa essent contaminati peccato, & fructum arboris istius vetitum concedissent odiosos rerum externarum insultus, suamque sentiebant nuditatem Gen. III, 7. Ad hos in saltus removendos & nuditatem tegendam consertis foliis ficalneis sibi faciebant subligacula. Cur autem ejusmodi tegumenta sibi pararent, quæ minus apta & non satis commoda erant ad finem, quam quidem obtinere intendebant, & non potius aptiora atque commodiora, qualia ex pellibus, uti postea, brutorum potuissent confici, id quidem accurate determinari non potest. Generatim tamen est observandum, quod eo tempore vel non consultum fuerit, vel quoque non licuerit brutum quoddam mactare & trucidare, vel quod dubitarint, rem a Deo creatam occidere, irritumque per peccata Deum trucidatione & occisione bruti creaturez divinæ magis irritare.

§. 29.

§. 29.

Eadem mutavit Deus.

Quamvis autem primi nostri parentes ex consertis foliis sibi parassent tegumenta; (§. 28.) eadem tamen post redemptoris promissionem mutavit Deus, cum i's permisit, ut sibi ex pelle bruti conficerent tegumenta כהנות עור. (cf. §. 25.) Rationem, cur vestimentorum indiguerint post lapsum, ex supra dictis perspicere possumus veram. (§. 27.) Adeoque opus non est, ut ad mysticas ex Scriptura Sacra non probabiles refugiamus causas, a) ac si Deus per tunicas istas pelliceas judicare, homines post lapsum naturæ brutorum prorsus esse adsimilatos, sive quod B. Langio in *Med. Ment. P. I. per. I. §. XV. placet*, primos homines de veste justitiae, quam Christus agnus ille Dei aliquando immolandus ipsis erat paraturus, admovere voluisset.

a) *Ha causa mystica aliqua recensentur in Crit. Sac. T. I. ad b. l. nec non in Matth. Poli Synops. Critice T. I. add. l. Et in Biblioth. Max. Patrum T. VI. fol. 878. C.* Quæ vero cause ad pias magis referenda sunt meditaciones & cogitationes, quam ad veras rei ipsius rationes, quas quoque praeter alios tuitus est Cornel. a Lapide in *Comment. in Genes. p. 88. add. l.*

Schol. I. In loco Genes. III, 21. dicitur, quod Deus triunus primis parentibus fecerit כהנות עור. Hic observamus, a proprietate vocabuli עור recedatur quod necesse non sit. cf. Riveti Comment. in Genes. cap. III. Exerc. XXXIX. p. 199. Proprie enim ac native significat a) pellem bruti externam Genes. XXVII, 16. Lev. VII, 8. VIII, 7. IX, 11. Num. XIX, 5. &c. b) pellem hominis Lev. XIII, 2. 3. 5. &c. Job. XIX, 25 Thren. V, 10. Adeoque hæc vestimenta sive tunicas ex pelle animalis cuiusdam ipsa non esse confectas & paratas, sed tantum ex crinibus & lana pelli bruti cuiusdam viventis detonsa esse contextas, non est opinandum.

F

Schol.

Schol. II. Iccireo etiam non statuendum existimamus, ac si ipsa hominum curis & pellis crassior atque superior prout tunicis istis esset habenda, qua tunc demum Deus homines induisset; quoniam α) eadem pellis atque curis antea non existens per vim Dei omnipotentem debuisset creari; β) grammaticē rem omnem considerantes tunicarum istarum confectione Deo adscribi; earum autem indutus solis relinqui deberet hominibus, quia וַיְלַבֵּשׁ est 3 masc. sing. futur. in Hiph. quod autem cdm. n. α conciliari nequit tunicarum confectione & indutū accurate a se invicem distincto. γ) Ante utrumque huncce actum homines fuisse non absimiles brutis viventibus, ut ita dicam, deglupis, adeoque spectacula horrenda δ) effectus, quem habere debebant (§. 27.) teste experientia hac ratione non obtineri potuissent, insuperque cutis ista non sufficeret ad cupiditates libidinosas refranandas, occultandas, removendas, tediumque ex iisdem suppressimendom. (§. 26.) cf. Dom Winckleri diss. cit. §. XVI. qui plures removet de his tunicis objectiones.

Schol. III. Consequenter pellis bruti cuiusdam hoc loco est intelligenda, ex qua tunicae primis parentibus sunt patatae. קָרָא תַּוְעַזְתִּי quidem שֶׁר כְּתָנוֹת significat tunicas pellis non de sive ex pelle; verum ex aliis scriptura sacrae locis satis si perque elacet, in hoc quoque loco genitivum שֶׁר causam indicare materialē, ex qua scilicet tunicae istae sunt confectionē vid. Genes. VI, 14. Exod. XXV, 10. 17. 18. Jud. VII, 13. Ps. II, 9. &c. cf. Sal. Gliss. Ph. Sac. L. III. Tr. I. can. XXX. 2. p. m. 633.

Schol. IV. Retento itaque significatu vocis שֶׁר proprio & nativo cum quibusdam non objiciendum, ac si hac ratione certa quædam brutorum species interuisset de novo a Deo producenda; quoniam data occasione ad hanc objectionem respondit Cel. Carpon. in Theol. Dogm. T. I. §. 964. Sch. sequentem in modum: At Cel. Reinbeck in Beitrache. über die Augs.

Augsburgische Confession T. I. p. m. 316. hanc objectionem declinari posse arbitratur, si, vel per annum spatum parentes primos in perfectione concreata perficiisse, supponamus; fieri enim interea potuisse, ut illa brutorum species, cuius individuum quoddam Deus mactaverit, jam fuerit multiplicata. Sed nec opus sit, ut tam longum spatum temporis supponamus, quia dummodo e. g. ovis femina imprægnata fuerit, quod brevi post creationem tempore fieri potuit, mas, salva specie conservanda & multiplicanda integritate potuit mactari. Ex qua responsione elucet, ovem illam feminam imprægnatam, ne mari mactato ove extingueretur illa species, marem ovem necessario exponere debuisse. Licet hac autem impossibilia non sint, subjungam tamen quoque responsionem illam, quam legi in Dom. Winckl. Diss. cit. §. XVI. Sed evincat (Clericus scilicet Comm. in Pentat. ad h. l. p. 34.) prius ut Ecksteinius loquitur cap. IV. de vestiment. Protopl. Deum tantum bina, ut in hominum fiebat creatione, in unaquaque specie, produxisse animantia. Scriptura de his nil scit. Nostrum non est curiosus inquirere, unde animantia sacrificiis destinata desumpta sint? Sufficere nobis possunt, que Isaaco querenti: ubi pecus in holocaustum? Abrahamus respondit eventu comprobata: Deus videbit sibi pecudem in holocaustum Gen. XXII, 7. 8. 13. Sane si ponas, vestes illas ex pellibus animantium confectas fuisse, divinum de tali cultu mandatum supponitur. Quodsi adfuit, de materia illius Deum quocunque modo prospexit satis esse poterit.

Schol. V. Cur autem Deus iis dederit vestimenta pellicea respectu eorum ex foliis consertorum fculneis; ejus quidem ratio est petenda ex eo, quæ §. 28. diximus.

§. 30.

Mors bruti.

Si Deus vestimenta primis parentibus paranda ex pelle bruti curavit; manifestissime sequitur, ut mors sive occisio & mactatio bruti cuiusdam, cui cutis detrahi potuerit, præcedere debuerit. Sed illud ex claris appetit scripturæ verbis.

(§. 29. & 25.) Adeoque etiam veritatem hujus ceu legitime consequentis nemo in dubium vocare potest. *Verum hic eritur ζητησις: ubinam hujus bruti caro manferit? quemque in finem sit adhibita.*

§. 31.

Responsiones ad hanc questionem.

Primis parentibus paulo ante lapsis promiserat Deus redemptorem pro peccatis, eorumque reatu totius generis humani. Cum itaque verum Deo cultum praestare possent; (§. 5.) per se patet; neque hanc carnem per se cultui corum interno inservire, neque cum eadem interne Deum colere potuisse. Si itaque ponamus, carnem hujus bruti maestri in cultu externo adhiberi potuisse, & ex voluntate divina debuisse; non dubitamus asserere: *Adamum in cultu externo hanc adhibuisse carnem qualicunque sed a Deo prescripta siveque debita ratione.* (§. 22.)

§. 32.

Continuatio.

Cainus & Abeli per expressas & explicitas Sacrae Scripturæ litteras primi sunt, qui Deo obulerunt sacrificia. (§. 10. & 9.) Cum itaque hoc factum est in prima mundi aetate; sequitur, ut sacrificiorum oblatio instituti sit antiquissimi. Cumque in subsequentibus temporibus ex voluntate & mandato divino sacrificia sunt oblatia cruenta, quale quoque Abelis fuerit, (§. 11. Sch. III.) atque adeo maxima cultus divini externi pars sacrificiis est absoluta, (cf. §. 7.) apparet, quod possibile sit, hoc brutum, hasque de hoc bruto carnes in cultu externo esse adhibitas, & Deo per sacrificium ab Adamo immolatas.

§. 33.

§. 33.

Continuatio.

Tam vera itaque & probabilis eorum est conjectura, quæ hoc brutum Adamum Deo sacrificasse statuunt, ut nulla major esse possit: cum enim hujus bruti, ex cuius pelle primis hominibus vestes conficiendas curavit Deus, carnes in cultu Dei externo potuerunt adhiberi ab Adamo; (§. 32.) Deus autem Adamum ratione sacrificiorum instruxit, (§. 17.) eidemque legem dedit sacrificialem; (§. 20.) maxima sequitur probabilitate, ut hoc brutum per sacrificium immolaverit Adamus Deo, avāperī suorum peccatorum instituerit, fiduciāque in redemptorem promissum sacrificando posuerit. (§. 31.)

§. 34.

Continuatio.

Si ex superioribus repetimus: Adamum a Deo esse obligatum ad sacrificia offerenda, (§. 21.) nec probabile esse, Adamum huic obligationi non vixisse convenienter; (§. 22.) non exiguum probabilitati isti, (§. 33.) brutum illud Adamum Deo immolasse, accrescit momentum, & fere certitudinem nanescitur. (§. 32.) Tantum itaque abest, ut objectiones illas, quæ ex facta sive commissione sive objectione, quod ab aliis bruni & volucribus potuisset consumi & devorari, sive defensione desumi possunt, tanta firmitate & vi esse putaremus, quæ huic probabilitati aliquid sive adimere sive eandem plane tollere possent; ut potius ex his omnibus pro veritate asserta sequens deduci possit argumentum: *Si eo tempore nobilior, illustrior, melior & Adamo salutarior adfuerit occasio & usus, in quem ab Adamo brutum illud occisum potuit adhiberi, quam si per esum aut abje-*

DE SACRIFICIO PRIMO

abjectionem aut defissionem esset consumtum; sine dubio priorem usum pra posteriori elegit Adamus. Sed per supra dicta verum est prius, adeoque nullum superest dubium, quin Adamus hoc brutum sive ejus caro Deo pro se & uxore sua vera in Messiam sive immolaverit. Carnes illas, verba sunt Quensted. l. c. p. m. 218. tanquam inutiles esse abjectas credibile non est.

Schol. I. Non nova sunt, quæ huc usque in medium sunt prolata: Adamum enim Deo obtulisse sacrificium non pauci a multis retro lustris crediderunt: Historia enim ecclesiastica nos docet, seculo II. sectam quorundam hominum viguisse, quæ nomine Artotyitarum venit, atque a Cataphrygis, Quintillianis, Pepuzianis & Priscillianis non nisi denominatione differre videntur. Hi Artotyritæ primos sacrificasse homines Deo sunt arbitrati, quod luculentius ex eorum descriptione, quæ traditur in den compendieusen Kitchens und Ketzers Lexico sub Tit. Artotyrite, perspici potest: war eine gewisse Secte im Sec. II. und wurden also genannt von Brod und Käse im Sacrament, an statt des Weins, weil unsere ersten Eltern die Frucht der Erden und der Schaafe geopffert, und weil Gott das Opffer Abels angenommen, welches die Frucht seiner Schaafe gewesen, wovon der Käse herkommt; darum hielten sie den Käse viel angenehmer als den Wein. Epiphan. haeret. 49. August. haeret. 27. cf. Frid. Bechmann. in annotat. uberior. in Comp. Hutteri p. 679. & Ph. Jac. Hartmann. in Comment. de rebus gestis Christian. sub Apostolis p. 468. Porro sub finem sec. X. & initium XI. vixit Suidas Monachus Constantinopolitanus, qui nobis Lexicon græce conscriptum reliquit, in quo sub voce Adam hæc legimus verba: Τέττα τέχναι καὶ γεωμετραὶ, τέττα επισημαι λόγιαι τε καὶ ἀλογοι, τέττα περιφτειαὶ, μεγεγύλαι, κ. τ. λ. quæ eodem tempore Adami sacrificium creditum & non ignotum esse communisstrant. Ex nostris ita de hoc sacrificio Job. Cunrad. Ditterici in Antiq. Bibl. ad Lev. VII, 37. p. m. 206. ed. Piss. Quantum-

tumvis, inquit, non expressa occurat mentio Adamitici alicujus sacrificii; pia tamen veterum est conjectura, ex pellibus ovium sacrificium mactatarum & combustarum divinitus Adæ & Evaæ factas & induitas fuisse vestes, ut deinceps &c. Cui subiungere non pigebit B. Calovii verba ex Comm. in Gen. cap. III, 21. Cum maestari oportuerit oviculas & agnulos, quibus detrahendæ erant pelles; non dubitamus filium Dei, mactatis iisdem, ceu æternum pontificem hic primum omnium ritus sacrificiales & sacrificia ipsa (quorum communissima erant, que ex ovibus offerreabantur) peregrisse, illasque figuræ futuri sui sacrificii Adamo commendasse cf. Ej. Bibl. Illust. T. I. p. 218. Ex quibus simul apparet, ex veterum sententia materiam sacrificii Adamitici fuisse oves & agnos, atque respexisse ad futurum veri & immaculati agni h. e. Christi immolationem coll. Apoc. XIII, 8. Et LXI. ad Gal. III, 27. cf. B. Calovii Bibl. Ill. T. I. p. 254.

§. 35.

Adamus sacrificans obtinuit bona gratia.

Finis & effectus sacrificiorum respectu hominum ex intentione Dei erat, ut sacrificans & sacrificium offerens propter fidem in Messiam ejusque satisfactionem juxta hæc sacrificia omnium œconomiaæ gratiaæ bonorum particeps fieret & salutem æternam adipisceretur. (§. 13.) Cum itaque Adamus vera in Messiam fide sacrificium fecit; (§. 23. 34. & 33.) sequitur quoque, ut omnia œconomiaæ gratiaæ bona sacrificans obtinuerit ad salutem æternam necessaria.

§. 36.

Et quidem eadem, quæ in N. T.

Cum utraque œconomia gratia tam vetus quam nova post lapsum a Deo benigniter introducta uno eodemque inititur fundamento, redemptore scilicet generis humani; (§. 1.) bona quoque œconomia veteris eadem esse debent cum iis,

quorum in novo fædere participes fiunt fideles. Sed Adamus sacrificans omnia œconomia gratiæ bona vera in redemptorem fide obtinuit; (§. 35.) sequitur itaque, ut eadem, quæ fideles in N. T. obtinent, adeptus sit bona spiritualia.

§. 37.

Scilicet regenerationem & justificationem.

Omnis vere fidelis & in redemptorem fiducialiter credens, juxta bona opera ex fide illa emanantia, regeneratur & coram foro divino justificatur s. pro justo reputatur. (per Th. Thet.) Cum autem sacrificiorum oblationis usus esset frequentissimus ex lege Dei positiva; (§. 19. & §. 7.) apparet, quod Adamus, cum omnia bona spiritualia œconomia gratiæ novi fœderis obtinuit, (§. 36.) vera in redemptorem fide sacrificium offerens sit regeneratus & justificatus.

§. 38.

Regeneratus ad imaginem Dei instauratur.

Quicunque est regeneratus & coram foro summi Numinis justissimo justificatus; ille ex statu iræ in statum pervenit gratiæ, e tyrannide diaboli est liberatus Hebr. II, 14. 15. in filiationem apud Deum restitutus Rom. VIII, 16. 17. & ad imaginem Dei per peccata perditam instauratus Ephes. IV, 24. Coloss. III, 9. 10. cf. Cel. Carporvii Theol. Dog. T. II. §. 911. & 1154.

§. 39.

Adeoque Adamus.

Cum igitur Adamus sacrificans est regeneratus & justificatus; (§. 37.) sequitur, ut idem ille eo ipso ad imaginem divinam est instauratus. (§. 38.)

§. 40.

§. 40.

Deo factus similis.

Quicunque ad imaginem divinam est instauratus, ille similitudinem cum Deo iterum accepit, & Deo similis est factus (per definit.) Cum vero Adamus ad imaginem divinam est instauratus, (§. 39) apparet, quod et idem iterum repperit similitudinem cum Deo, eidemque sit factus similis.

§. 41.

Regeneratus similis factus est filio Dei.

Quoniam Christus, secunda in Trinitate persona, est imago Dei patris perfectissima 2 Cor. IV, 4. Colos. I, 15. Hebr. I, 3. cf. Joh. XIV, 9. ejusque natura tempore Gal. IV, 4. assumta humana propter characteres & notionem imaginis divinae in Christo ceu vero homine obviam & ex Sacra Scriptura non quidem *natura* *to* *enov*; sed *en* *τε* *en**τε* probabilem, imaginem gerit divinam cf. Cel. Carpol. l.c. §. 202. Et Ej. Psychol. Sacrat. P. I. c. II. §. 86. 93. 111; facile inde colligere possumus, cur in sacris litteris regeneratus & justificatus dicatur similis factus filio Dei, ejusque imagini adsimilatus Gal. IV, 19. Rom. VIII, 29. Coloss. III, 10. cf. Cel. Carpol. Th. Dog. T. II. §. 914. Et 1155.

§. 42.

Consequenter et Adamus.

Cum itaque Adamus vera in redemptorem fide sacrificium offerens regeneratus est & justificatus, (§. 37) etiam eidem contigisse, omnibus quod evenire solet regeneratis & iustificatis, negare non possumus. Sed hi similes sunt filio Dei, & ejus imagini adsunilantur; (§. 41.) sequitur ergo,

G

ut

DE SACRIFICIO PRIMO

ut Adamus quoque (iterum) similis sit factus Christo, secundæ Trinitatis sanctissimæ personæ. (§. 40.)

§. 43.

Ille factus est sicut unus ex tribus in Deitate.

Si absolute impossibile est, ut alter alteri sit aequalis: sicut unus ex aliis factum esse quendam dicitur, si item similis factus est uni ex aliis. Cum itaque Christus est secunda in Trinitate sacratissima persona, cui nemo hominum aequalis fieri potest; non est obscurum, quod Adamus, sacrificans similis factus Christo & ejus imagini adsimilatus, (§. 42.) factus sit sicut Christus, adeoque sicut unus ex tribus in Deitate.

Schol. Quicunque justificatus factus est sicut Christus, ille ante regenerationem & justificationem talis non fuit; sed ordinarie filius est iræ divinæ Ephes. II, 3. Coloss. III, 7. Tit. III, 3. (cf. §. 38.) Cum itaque Adamus vera in redemptore fide sacrificium offerens factus est sicut unus ex tribus in Deitate; antea Deo & Christo similis non fuit; scilicet eo tempore, quo quidem esset lapsus per peccata, verum eidem redemptor nondum promissus, quem fide apprehendere potuisset. Adeoque minime hoc ad statum integritatis est extendendum.

§. 44.

Regeneratus cognoscit bonum & malum.

Quicunque veram in redemptorem habet fidem, atque adeo est justificatus, ille illuminatus est, & gustavit donum supra cœlestis, particeps factus est spiritus sancti, gustavit bonum Dei verbum, virtutesque futuri seculi. (per Th. Thet. cf. Hebr. VI 4. s.) Consequenter regeneratus cognoscit veritates salutares, seu quæ ad salutem æternam necessariae sunt, quantaque & quæ bona acquisiverit redemptor toti generi humano

mano per satisfactionem, quodque per eandem per peccata amissam beatitudinem recuperare possit homo. E contrario per eandem illuminationem colligere potest regeneratus, quantum & quodnam malum sit peccatum, mors spiritualis, & damnatio aeterna propter peccata certo obeunda, nisi Christus ejusque satisfactio apprehendatur fiducialiter. Priori itaque modo regeneratus cognoscit bonum s. quid bonum, posteriori autem malum s. quid malum sit.

S. 45.

Adeoque & similis Christo factus.

Quicunque similis est factus Christo, ejusque imagini adsimilatus, ille est regeneratus & justificatus; (§. 40. & 38.) Cum autem omnis justificatus homo cognoscit bonum atque malum, (§. 44.) videmus: *omnem similem Christo factum ejusque imagini adsimilatum noscere bonum atque malum.*

S. 46.

Atque sicut unus ex tribus in Deitate factus.

Quicunque factus est sicut unus ex tribus in Deitate, ille similis Christo est factus. (§. 43.) Verum talis cognoscit bonum & malum. (§. 45.) Ergo *sicut unus ex tribus in Deitate factus noscere quid bonum? quid malum? sit.*

S. 47.

Consequenter & Adamus.

Quicunque sicut unus ex tribus in Deitate est factus, ille cognoscit bonum atque malum. (§. 46.) Cum vero Adamus vera in Messiam promissum fide sacrificans sicut unus ex

tribus in Deitate est factus; (§. 43.) sequitur, ut Adamus quoque cognoverit quid bonum quidve malum? Quod quoque luculentius ex Gen. III, v. 8.20. colligi potest: ibi enim reperimus rigorosum illud examen, quod Deus cum Adamo propter transgressionem legis, adeoque propter peccata instituit; revelationem redemptoris, et veritatum salutarium, imo & promulgationem eorum, quæ ex lap' iis essent eventura. Ex quibus concludere possumus: Adamum non latere potuisse malum & bonum; sed a posteriori idem illud eidem inno-
tuisse.

S. 48.

Continuatio.

Ex his itaque omnibus, quæ haecenus de Adamo sunt dis-
putata, apparet, quod sacrificium offerens Adamus factus sit sicut
unus ex Tribus in Deitate, (§. 43.) Et cognoverit, quid sit bonum
quid sit malum? (§. 47.)

Schol. Si itaque ponamus, quod quidem inter impossibili-
bilia referri nequit, supposita in Deitate Trinitate, Denim
solum cum tribus in Deitate ὄποσάται egisse & locutum
esse de Adamo ex fide in redemptorem promisum sacrificante,
eiusque rebus circumstantibus in spiritualibus; hanc
de Adamo ut protulisset dictio non fuisset *en τῷ αδ-
νεῖταν*: Adamus factus est sicut unus ex nobis Et cognoscit quid bo-
num quid malum.

S. 49.

Res hominibus circumstantes post lapsum.

Primi homines per peccata lapsi, morti σωματικῆ & ani-
mæ facti sunt obnoxii. Hanc quidem redēptionis medio
removere & evitare possunt homines; verum illam ordinarie

nemo

nemo evitare poterit, adeoque 1) omnis homo ordinarie ~~σωματικῶς~~ mori debet, 2) per medium satisfactionis ex intentione Dei ordinarie morte naturali & temporali subsecuta beatitudinem aeternam assequi & potest & debet, Matth. VI, 20. 21. Philip. III, 20. 21. Hebr. XIII, 14. 3) qui negligit & respuit medium redemptionis, damnationem aeternam ordinarie post vitam temporalem non evitabit, 4) non omnes omnino homines naturaliter usque ad finem hujus seculi vivent, nec vivere possunt, Rom. VI, 23. 1 Cor. XV, 51.

§. 50.

Medium ad vitam aeternam quando indifferens.

Permulta dantur res, quæ per se spectatae sive in abstracto, utrūcunq; ajunt, sunt indifferentes, & nulla gaudent moraliter; quamvis in concreto & sub singularibus circumstantiis per sua conlectaria sive bona sint sive mala. Si itaque ponamus naturale quoddam medium, cujus usū vita nostra temporalis sive iusto & solito longior, sive etiam immortalis fieret; medium illud per se sive in abstracto neque bonum neque malum sed indifferens esset dicendum,

§. 51.

Quando malum.

Omnis homo post lapsum ordinarie mortem ~~σωματικῆς~~ obire debet, sive post eandem visionem beatissimam, sive damnationem obtineat aeternam, neque omnis homo ad finem usque hujus terrarum orbis vivere potest. (§. 49.) Hinc itaque sequitur, ut ejusmodi medium, si tale adesseret, non maneret indifferens; (§. 50.) quia nexui post lapsum inter ho-

imines singulari a Deo approbato, vi alterius partis legis istius positivæ, (cf. §. 12. not. a.) repugnaret; sed omnino evaderet hujus medii usus malus.

Schol. Quoniam nexus post lapsum mortem hominum *σωματικὸν* includit; (§. 49.) a posteriori inde concludimus, quod, quia idem ille nexus ejusmodi medium non involvit, cuius usu mors hominum denominata possit averti; illud quoque medium huic repugnet nexui, adeoque non sit indifferens in hoc rerum nexu. Et quoniam in scriptura passim est approbata mors illa ab hominibus obeunda; etiam medium illud malum esse debet. Et si illud adesse ponas; permulta ex eodem consequentia incommoda omittere volo.

§. 52.

Hactenus locuti sumus de nexu illo, qui post Messiac promissionem inter homines obtinuit & obtinet. Si itaque tempore Adami post promissionem Messiac ejusmodi adfuisset medium, cuius usu vita nostra sive solito longior, sive etiam immortalis evaderet; sequitur, ut illud malum fuisset. (§. 51.)

§. 53.

Continuatio.

Ex superioribus patet: Adamum oblato sacrificio factum esse sicut unus ex tribus in Deitate, & cognovisse, quid bonum quid malum. (§. 48.) Si itaque eo tempore tale adfuisset medium; facile in eam prolabi potuisset sententiam, hominum πολίτευμα non esse 'εν τοῖς βεαυτῖς, alteramque legis istius (§. 12. not. a.) partem esse frustram. Cum vero hoc repugnat Scripturæ Sacrae Philipp. III, 20. Hebr. IX, 27. (§. 52. &

51.)

¶ 1.) sequitur, ut ejusmodi medium omnino fuisset malum. Ut taceam, posito illo medio, Adamum facile relabi pouisse.

§. 54.

Continuatio occasione loci Genes. III, 22:

Ex primis Geneseos capitibus constat, Deum in medio Paradisi creasse & posuisse arborem עץ הַחִיָּה, a) cui effectus vitam hominis in aeternum prolongandi & immortalem efficiendi etiam post lapsum & promissionem redemptoris adscribitur Gen. III, 22. De qua quidem arbore Cel. Carpol. in Theol. Dogm. T. I. §. 1036. ita differit: *Quoniam igitur arbor vita paradisiaca vera fuit vita arbor, ope illius simul hominem immortalitatem consecuturum fuisse dubitandum non est; ita scilicet, ut quemadmodum corpus hominis per essentiam suam ad vitam perpetuam aptum dispositumque fuerit, ita mediante vita arbore spiritus corporis vitales & animales semper in vigore conservati, vires confirmatae & rectae, & causae incommodeorum, si que fuissent, depulsa fuerint. b)*

a) Disputatum est, utrum עץ הַחִיָּה & עץ הַחִיָּה unam eandemque numero esse arborem & denominatione tantum differre, statuendum sit, nec ne? Affirmativa sententia sequenti argumento probari posse mihi videtur:

Arbor, cujus fructum comedere primi parentes sunt prohibiti, est arbor cognitionis boni & mali Genes. II, 17.

Arbor in medio Paradisi sive horti Deo posita, est arbor, cujus fructum primi parentes comedere non debuerunt Genes. III, 3.

Ergo arbor in medio horti posita erat arbor cognitionis boni & mali.

Sed arbor vitarum est arbor in medio horti posita Gen. II, 9.

Ergo arbor vitarum est arbor cognitionis boni & mali. Q. E. P.

Arbor in medio horti posita est arbor vitarum Gen. II, 9.

Sed arbor, cujus fructum primi parentes edere non debuerunt, est arbor in medio horti posita Gen. III, 3.

Ergo arbor, cujus fructus non erat comedendus, est arbor vitarum;

Verum

Verum arbor cognitionis boni & mali est illa arbor, cuius fructus non erat comedendus Gen. II, 17.

Adeoque arbor cognitionis boni & mali est arbor vitarum Q. E. A.

Cum autem multis haec sententia adhuc obnoxia esse videtur difficultibus; easdem removere conatus est, & vero declinavit Cl. C. eruditissimus Vir Pl. R. M. Chrysander in Diff. jam laudata, atque simul ostendit, quomodo potuerit fieri, posita harum arborum idenitate etiam numerica, ut alio tempore Adamo fuerit obnoxia; alio autem ejusdem inservitura fuisset saluti & vita temporali.

b) Summum numen dicit: Si de hac arbore & ejus fructu comedit Adamus; vivet לְעוֹלָם. Evidem scio: לְעוֹלָם non semper aeternitatem significare absolutam; sed interdum quaque respectivam s. tempus longum & indefinitum, cuius finis non est notus, cf. Gen. XVII, 8. XXXVIII, 4. Exod. XXI, 6. 1 Sam. I, 22. XIII, 13. 2 Sam. XII, 10. cf. Sal. Glash. Ph. Sac. L. V. T. I. c. XVI. Iccireo quanam hic potissimum intelligenda queritur? Ex allegatis his dictis colligi, eorumque nexu facile potest perspicere, in iisdem לְעוֹלָם aeternitatem absolutam significare non posse; sed tantum respectivam, quae tamen ad finem usque hujus seculi non esset duratoria; cum vero ex Gen. III, 22. ejusmodi aeternitas absoluta in hac vita obtineri nequit, quia permutatio & interitus hujus seculi est futurus; sequitur, ut in allegato quidem dicto per לְעוֹלָם aeternitas respectiva sit intelligenda, verum talis, quae usque ad finem hujus mundi ordinarie durasset.

S. 55.

Usus arboris vita fuit malus.

Cum itaque arbor vitarum virtutes habait, vitam hominum solito longiorem & usque ad finem mundi immortalem faciendi; sequitur, (§. 54.) ut, si Adamus de illa comedisset arbores, usus hujus arboris non fuisset indifferens in concreto; sed omnino malus; (§. 53. & §. 52.) & nexui huic repugnans dicendus.

Schol. Ergo Deum non insipienter egisse palam est, si aut arborem vitarum & eius virtutes plane perdidisset, aut aditum ad eandem impedivisset quoconque demum modo.

Et

Et si ponderamus, Adamum de hac arbore comedentem facile ex statu gratiæ in statum iræ relabi potuisse, (§. 53.) Deumque hunc relapsum cavere voluisse; posita dictionis illius (§. 48.) continuatione, ita eandem instituere potuisse Deum patet: *Adamus factus est sicut unus ex nobis, & cognoscit quid bonum quid malum; sed, ne comedat in spem vivendi aeternam vanam de arbore vitarum, impediam, quo minus id fieri possit.*

S. 56.

Sensus dicti Gen. III, 22. genuinus.

Hisce itaque præmissis verum & genuinum, uti ego arbitror, sensum dicti Genes. III, 22. de quo hucusque multum est disputatum, investigare possumus, cuius verba ita se habent: פְּשָׁלַח יְהוָה אֱלֹהִים הַזֶּה כִּי-אַתָּה וַיֹּאמֶר וְלֹקַח גַּם מֵעֵץ חַיִּים וְאֶכְלֶל וְחוֹטָם לְרַע טֹב וְרֹעַ וְעֲתָה לְשָׁלַח יְהוָה. de quibus tantum sequentia notanda veniunt.

a) Nonnulli, qui hujus dicti sensum indagare paulo penitus sunt ausi, incerti fuerunt, quid summum numen per hec voluerit indicare verba. Adeoque non pauci sunt, qui in his verbis *Ironiam* latere defendunt, alii ad hanc evitandam in iisdem *Commissationem* quæsiverunt, & iterum alii utriusque occurrere studentes tropo *interrogative* eadem explicant verba. Sed melius omnino putamus; si hec verba absque ullo tropo interpretamur, & planam hujus dicti exhibemus orationem,

b) הַיְהָ pro consueto significatu verbi potest sive *per se* sive *per factus est*. Sed nexus ostendit, posteriorum significatum hic locum habere debere, (§. 48.) & orationis indeoles, adeoque nec opus est, ut הַיְהָ efferamus per *constus est*, sive *velut fieri*, quamvis interdum verba aquam denotantia per *potentiam* & conatum explicari debeant cf. Gen. XXXVII, 21. Ps. LXIX, 5. vid. Sal. Glash. Ph. Sac. L. III. Tr. III. C. V. p. m. 761. C. VIII. p. 766.

c) מַמְנָן Hæc vox multis subjecta sicut interpretationibus, cum ab aliis per *ex se*, ab aliis per *ex silio* & iterum ab aliis per *ex nobis* est redditia. Nos ultimum significatum retinebimus frequentiorem, eandemque

solide & eruditè demonstravit *Vir S. R. Pfleifferus Theologus Erlangen-*
sit excellentissimus in dissertat. inaugur. sub. Tsr. Trinitas personarum in
unitate Dei ex oraculis V. T. evicta Sect. I. Jen. 1743. Ex qua quoque
luculentè perspicendum: Deum in hoc sermone secum ipso solum
agere; non vero cum aliis rebus rationalibus creatis communicare sen-
tentiam.

¶ 2 significat *etiam & porro sive præterea.* Sed assumta identitate
arboris vitarum & cognitionis boni atque mali (§. 54.) hic per porro sive
præterea, iterum est efferendum cf. Cel. Chrysostomi diuert. cit. §.
XXXV.

§. 57.

Continuatio.

Atque ita unum quodque vocabulum in nativo suo si-
gnificatu relicturn dictum illud ita vertendum esse putamus:
Et dixit Deus Triunus: (secum ipso solum agens) Ecce Adamus
(vera in promissum mulieris semen fide sacrificans) factus est
(cum post lapsum ante redemptoris revelationem is non fuit)
sicut unus ex nobis, (non æqualis uni ex nobis; sed similis fidu-
ciali meriti redemptoris apprehensione per regenerationem
alteri in Deitate sanctissimæ personæ scilicet Christo perfectissi-
mæ patris imagini) Et noscit (a posteriori) quid bonum (vel est:
apprehensio scilicet meriti Christi, vel fuit: status nimirum
amissus seu integratatis) quid malum; (vel fuit, com de fructu
verito comedit, vel est: contemnitus medii illius salutaris a Deo
revelati) Et nunc, ne extendat manum (prout fecit in ipso lapsus
actu) Et sumat iterum, porro (sed in spem æternum vivendi) de
arboре vitarum (sive cognitionis boni & mali ceu re per se in-
differenti) Et comedat, Et vivat æternum (usque ad finem hujus
terrarum orbis) scilicet dimittam eum (ne puret: hominum
πολιτευμα non esse τοις σεργοις & hac ratione morte non fu-
tura medium redēptionis esse contemnendum; sed colligat:
homi-

hominum πολύτευμα omnino esse 'εν τοῖς ἁγανοῖς) Et dimisit
v. 23.

Schol. Atque ita facilius perspicere possumus I. totius orationis & enarrationis Mosaicæ nexum a versu 8. usque ad finem capituli, II. singularem nexum, qui inter vers. 21. & 22. intercedit, atque III. coherentiam propositionis: homo est conformis imagini filii Dei, ergo ex paradiſo eliminandus a S. R. Pfeiffero præceptore meo ad cineres colendo in disserr. cit. §. VI. not. his verbis: *Quomodo enim homo paenitens magis Deo similis esse potuit, quam ante lapsum erat? qualis ex ea propositione ad alteram de ejectione primorum hominum coherentia inservienda est?* utique enim non sequitur, homo est conformis imaginis Filii Dei, ergo ex paradiſo eliminandus: desiderata m̄ a nobis prolixius probatam. Non equidem primus sum, qui ita hoc dictum vult intelligi, cf. Starckii Synops. Biblioth. Exeget. in V. T. ad b. l. quoniam teste S. V. Baumgartenio in der allge- meinen Welt-Historie Cel. Rambachius in Hist. Eccl. V. T. p. 90. & docente S. R. Pfeiffero in diss. cit. Job. Meyerus in disserr. de mysterio S. S. Trinitatis Harderevici an. 1712. edita C. II. §. 17. p. 38. eodem interpretantur modo verba, & quidem posterior his verbis: *Ecce Adam, nunc restitutus,* (ut præcedentia comm. 15-21. docent) Πάτη, factus est, ut unus ex nobis i. e. similis factus uni ex personis divinis, similis ac conformis imaginis Filii Dei Rom. VIII, 29. Sed utrumque neque Rambachium neque Meyerum mihi videre contigit, adeoque nec hujus interpretationis rationes ab illis adductas dijudicare potui.

§. 58.

Brutum illud fuit primum sacrificiale.

Sed redeamus ad id (§. 34. unde venimus. Ex continua factorum serie & successione, quæ in Genes. III. traditur, dilucide appareat, quod illud brutum, ex cuios pelle primis parentibus vestimenta sunt confecta, mox post promulgatum

de redemptore totius generis hominum dogma sit trucidatum; (cf. §. 30.) Cum vero Adamus hoc brutum divino immolaverit numini (§. 31. & seqq.) primusque fuerit, qui Deo post Messiae promulgationem obtulit sacrificium; (§. 24.) constat: *hoc brutum primum fuisse sacrificiale Deo oblatum, hocque sacrificium Adami fuisse primum illud.*

§. 59.

Primum sacrificium in Paradiso est factum.

Porro nexus ostendit, quod tunicis pelliceis primi homines induiti ejecti seu migrare jussi sint a Deo e paradise Gen. III, 23. adeoque tunicarum consecratio in paradise adhuc est peracta. Cum itaque mactatio bruti illius in paradise quoque facta esse debuit; hoc vero brutum primum fuit sacrificiale; (§. 58.) inde colligendum: *quod primum sacrificium ab Adamo Deo oblatum sit adhuc in paradise.*

§. 60.

Fuit cruentum.

Cum mactatio bruti cuiusdam sine profusione sanguinis fieri nequit; profusio autem sanguinis bruti cuiusdam ad sacrificium cruentum requiritur necessario, & brutum illud, ex cuius pelle primis parentibus vestes sint adaptatae, est mactatum, (§. 30.) primumque fuit sacrificiale; (§. 58.) sequitur, *ut primum Adami sacrificium fuerit cruentum, quod Deo in paradise obiulit.* (§. 59.)

§. 61.

Et expiatorium.

Quoniam Adamus post lapsum reconciliationem cum Deo,

Deo, & sublationem inventæ disharmoniæ, peccatorum reatus quæsivit, (§. 22.) insuperque vera in redemptorem fide sacrificium fecit (§. 23.) cruentum; (§. 60.) ejusmodi autem sacrificium expiatorum est (cf. §. 11. Sch. III.) sive reconciliatorium: primum Adami sacrificium in Paradiso Deo oblatum (§. 59.) fuisse propitiatorium appetet.

§. 62.

Adamus primus fuit, qui cultum observavit externum.

Cum Adamus primus fuit, qui pro se & uxore sua Deo sacrificavit; (§. 23. & §. 31. seqq.) cultus autem sacrificialis ad cultum pertinebat externum, ejusque maximam efficiebat partem; (cf. §. 7.) sequitur, ut Adamus primus fuerit, qui cultum externum etiam adhuc in Paradiso observavit.

Schol. Cum Adamus vera in redemptorem fide sacrificium obtulit Deo; (§. 33. & 34. & 23.) cultus ejus pro fundamento habuit satisfactionem redemptoris. Cum autem ejusmodi cultus divinus voluntati Dei non potest non esse conformis; sequitur: ut cultus ille Adamicus non fuerit ἐθελοθεσιας; (§. 3.) sed Deo acceptus.

§. 63.

Adamus primus fuit sacerdos.

Primaria sacerdotis officia in veteri testamento erant, ut secundum ordinem & institutum divinum curam externi cultus divini haberet, sacrisque & sacrificiis vacaret cf. Hebr. V, 1. 2. VIII, 3. Cum itaque Adamus primus fuit, qui secundum legem a Deo acceptam sacrificavit, (§. 23.) & eo ipso cultum externum observavit; (§. 62.) Adamus quoque primus fuit sacerdos, primumque sacerdotio est functus.

Schol. I. Singularibus certe iuribus sacerdotes veteris testamenti substabilita jam hierarchia gavisi sunt , atque, cum Adamus primus fuit sacerdos, possibile, & probabile est, eidem quoque certa quædam iura ut iati a Deo esse concessa sacerdotalia, quod quidem de lege Lev VII, 8. non improbabiliter affirmare conatur Dom. Wincklerus in diss. cit. §. XV. his verbis: *Quid vero magis consentaneum est, quam Deum, ut non magis corpori subligaculis jam instructo Gen. III, 7. (a), quam animæ lapsorum prospiceret, factam gratiosi fæderis promulgationem eo statim tempore non sine sanguinis effusione Ebr. IX, 18. 22. ad remissionem requisita, dedicasse, ita quidem, ut carnes in victimam combustæ, pelles autem protoplatis adaptatae fuerint, vel Adama, tanquam primo sacerdoti cesserint: inde lex manarit Levit. VII, 8. Quum sacerdos offert holocaustum alicujus, pellis holocausti, quod obtulit, sacerdotis hujus erit.*

(a) Schuckfordius in der Harmonie der H. und Profan Scribenten L. II. p. 55. Es kommt mir unwahrscheinlich für, daß Gott hätte verordnen sollen, die Thiere bloß der Kleidung wegen zu schlachten, da die Menschen bereits mit einer andern Art der Bedeckung versehen waren. Es steht vielmehr zu vermutthen, daß, wenn er ein Thier bestimmet, er demjenigen, der solches dargebracht, erlaubt zugleich, die Haut zur Kleidung zu gebrauchen.

Schol. II. Singulare & peculiare officium summi sacerdotis sive pontificis maximi in veteri testamento præ reliquis sacerdotibus hoc erat, ut semel in quocunque anno die scilicet solennis expiationis sanctissimum intraret, atque eadem se totumque populum Israëliticum per sacrificia cruenta cum Deo expiaret Lev. XVI. Heb. IX, 7. Cum itaque Adamus pro se suaque uxore h. e. pro toto genere humano tunc temporis vivente Deo obtulit sacrificium (per antec.) expiatorium; non incongruum est hoc respectu Adamum sumimum appellare pontificem, quemadmodum ita loquitur B. Lutherus in Comment. in Genes. cap. IV, v. 16. egressum Caini a facie Domini explicans: *Ab isto loco,*

loci, in quo Deus se esse declarabat, ubi Adam, tanquam summus pontifex residebat, tanquam dominus terræ, egressus est Cain &c.

Schol III. Non sacrificia solum (§. 13. & 7.) sed etiam sacerdotes veteris testamenti erant τύποι redemptoris, quia ille sacerdos simul & sacrificium fuit cf. Hebr. VII, 27. IX, 12. 25. Passim enim redemptor vocatur ἀρχιερεὺς III, 1. ἀρχιερεὺς μεγατ IV, 14. Ἰησὺς σίσ τὸν οὐανα V, 21. ἵερεὺς μεγατ ἐπὶ τὸν ὄνον τὴν Θεοῦ κ. τ. λ. X, 21. Cumque jam ante Mosis tempora & stabilitate hierarchiae sacerdos Melchisedeck Hebr. VII, 3. cf. Outram. I. c. L. II. c. i. p. m. 288. seq. vocatur redemptoris τύπος; non incommodo, Adamum appellari posse ratione sacerdotii τύπον redemptoris, sequitur, quemadmodum ex alia ratione eundem ita vocaverit Paulus Rom V, 14. ὁ Αδάμ ἴσι τύπος τὰ μέλλοντα cf. Sal. Glass. in Ph. Sac. L. II. p. m. 443.

§. 64.

Oeconomia gratia post lapsum est verum testamentum.

Oeconomia gratiæ post lapsum consumatum a Deo benigniter introducta in Scriptura Sacra sub nomine testamenti est revelata, quod præsertim ex epistola Pauli ad Hebreos perspici potest. Sed quodvis testamentum requirit testatorem; sequitur itaque, ut & illud testamentum testatore reliquisque necessariis requisitis non carere debeat. Cumque testator hujus testamenti est Deus ceu redemptor generis humani, & reliquis requisitis hoc testamentum non est destitutum cf. Cel. Carpor. Theol. Dogm. T. II. §. 48; oeconomiam gratia veri nominis esse testamentum appetet.

§. 65.

Continuatio.

Quoniam haeres in testamento denominatus ante testa-

to-

toris mortem bonorum testamenti ceu ejus materialis participes fieri non potest; sequitur, ut ante testatoris obitum valorem non habeat testamentum. Cum itaque cœconomia gratia veri nominis est testamentum, (§. 64.) ergo quoque ante redemptoris ceu testatoris mortem nullum habet valorem.

Schol. Jam hæc ex quotidiana experientia, & JCtorum placitis possunt confirmari: nemo enim in testamento quodam hæres constitutus ante testatoris mortem ut talis bona testamenti obtinere potest, quia alias eslet donatio inter vivos. Et hæc omnia divus Paulus ad Hebr. IX, 16. 17. suis comprobat verbis: ὅπερ γὰς διαθήκη θάνατον ἀνίσχει τὸ διαθεμένος διαθήκην γὰς ἐπὶ νεκροῖς βεβεῖα, ἐπει μὴ πότε ιχνεῖ, ὅτε ζῇ ὁ διαθέμενος, quorum verborum sensum & finem uberioris ob oculos ponit Wilb. *Elliott in Comm. in B. Pauli epistolas ad h. l.* cum ostendit: hic Paulum contra Iudeos necessitatem mortis a redemptore sustinendæ demonstrare & defendere.

§. 66.

Origo cœconomiae gratiae & ejus initium.

Si testamentum ante testatoris mortem non habet valorem; sequitur ut initium cuiusvis testamenti sit ponendum in momentum mortis testatoris. (§. 65.) Ex quibus fluit: *cœconomiae gratiae ceu veri testamenti* (§. 64.) *initium in mortem redemptoris esse collocandum.*

§. 67.

Oeconomia gratiae dividitur in V. & N. T.

Oeconomia gratia ceu verum testamentum dispescitur in vetus & novum testamentum. In hoc physice & realiter mors redemptoris ceu testatoris est subsecuta, in illo non; verum tamen in eodem ut jam facta considerabatur, adeoque, quæ-

quæcunque per mortem physicam præstítit & acquisivit generi humano redemptor bona & beneficia; eadem jam in veteri testamento aderant, hominibusque vere in illum credentibus juxta sacrificia (§. 13.) imputabantur (§. 1.) moraliter scilicet & intuitu valoris. Adeoque hoc respectu utrumque testamen-
tum unum est idemque. (§. cit.)

§. 68.

Initium Novi Testamenti.

Oeconomia gratiæ ceu veri testamenti initium est ponen-
dum in mortis momentum ceu testatoris; (§. 66.) cum vero hoc
testamentum est vel verus vel novum; (§. 67.) sequitur, ut
utriusque testamenti primordia in idem mortis momentum
sint collocanda. Sed in novo testamento redemptor physice
mortuus est, in veteri non; appetat itaque, *initium Novi Testa-
menti esse ponendum in momentum mortis physice redemptoris.* Atque:
*momentum mortis redemptoris physice esse initium N. T. est illud argu-
mentum, quod celeberrimus & acutissimus Philosophus &
Theologus M. Jacob Carpovius jam pridem promisit ventilan-
dum in Theol. Dogm. T. II. §. 626. Schol. II. num. 5. his verbis: nota-
mus, finem veteris & initium novi testamenti in momentum mortis Chri-
sti (quod alio loco sumus demonstratur) collocandum esse, &c.*

§. 69.

Initium Veteris Testamenti.

Totum de redēctione generis hominum dogma, adeo-
que & redemptoris mors per sacrificia in veteri testamento re-
præsentabatur & præfigurabatur (§. 13.) præsertim cruenta.
Cum vero inter repræsentationem hujus mortis per sacrificia
& mortem ipsam a redemptore sustinendam ratione valoris

nullum est discrimen (§. 67. & 1.) & utriusque testamenti tam novi quam veteris initium in momentum redemptoris est ponendum ; (§. 68.) sequitur , ut initium veteris testamenti repetamus ab eo temporis momento , quo cœptum est , mortem redemptoris physicam ceu jam factam considerare , eamque repræsentare & præfigurare per sacrificia , & violentam mortem & mactationem brutorum sacrificialium secundum ordinem a Deo præscriptum , consequenter ab eo tempore , quo primum sacrificium est oblatum Deo .

Schol. Hoc quidem contra Coccejanos est notandum , qui initium veteris testamenti in tempora reponunt Mosaica , atque adeo conceptum veteris testamenti solito angustiorem faciunt , non considerantes ; sufficere ad vetus testamentum definiendum : in eodem satisfactionem pro genere humano physice a redemptore non esse præstitam cf. Dom. Winckleri diss. cit. §. III. pag. 11.

S. 70.

Continuatio.

Brutum illud , ex cuius pelle primis parentibus vestes sunt adaptatae , primum fuit sacrificiale ab Adamo Deo oblatum ; (§. 58.) cum vero in momentum temporis , quo cœptum est Deo primum offerre sacrificium , initium est ponendum veteris testamenti ; (§. 69.) dubium non est , quin , cum mox post promissionem prot-evangelii brutum istud sacrificavit Adamus Deo , & eo tempore incepérunt vetus testamentum .

Schol. Si initium veteris testamenti in tempus primi sacrificii Deo oblati collocamus ; non ab eodem promissionem redemptoris excludere volumus cf. Witsius in Oeconom. fæd. Dei L. III. cap. III. §. V. Sacrificium enim illud primum vera fide in redemptorem Deo oblatum ab Adamo (per antec. fine pro-

DIVINO NUMINI OBLATO.

67

promissione illa fieri non potuit, atque adeo initium veteris testamenti non ex actu quodam partiali sed totali partiales continentem determinari debet.

§. 71.

Vetus Testamentum in Paradiso habuit initium.

Primum sacrificium, quod Adamus pro se & uxore sua Deo obtulit, in Paradiso est factum. (§. 59.) Sed cum hoc sacrificio incepit Vetus Testamentum; (§. 70.) non potest itaque non sequi: *vetus testamentum initium adhuc habuisse in Paradiso.*

§. 72.

Non sine effusione sanguinis.

Primum Adami sacrificium sine effusione sanguinis non est factum & Deo oblatum; (§. 60.) cum vero in tempus primi sacrificii initium veteris testamenti est positum; (§. 70.) palam est: *vetus testamentum sine αιματηχυσιᾳ non habuisse initium.*

§. 73.

Continuatio.

Initium habere sive dedicari hoc loco pari passu mihi ambulat. Cum itaque *vetus testamentum sine αιματηχυσιᾳ initium non habuit*; (§. 72.) *sine eadem quoque non est dedicatum.*

§. 74.

Continuatio.

Cum *verius* testamentum ratione ordinis & temporis primum est testamentum; illud autem sine effusione sanguinis non est dedicatum, (§. 73.) sequitur, ut *primum testamentum absque αιματηχυσιᾳ non sit dedicatum.*

Schol. Si Paulus in epistola ad Hebreos cap IX, 8. dicit: Θεον δέ οὐ περ την χωρὶς αἵματος ἵγενεν δικαιοσύνην; observandum o-

minino putamus: verbum ἐγνωμόνεται quidem per initium habere efferri posse; verum cum hic Paulus non de prima veteris testamenti constitutione, sed potius de restauratione & renovatione ejusdem per Mosen facta loquitur; apparet, verbum ἐγνωμόνεται quoque in hoc loco renovationem indicare veteris testamenti. cf. Sebatt. Schmidt in Comment. ep. ad Hebr. ad b. l. nisi verbum ἐγνωμόνεται per initium habere explicatum, de continuatione, restauratione, & confirmatione illa solenni intelligamus, quemadmodum Gen. IV, 26. verba: אֵין חִילָל לְקַרְאָ בְּשָׁמָן יהוָה intelligenda, de insigni quadam ministerii ac cultus divini instaurazione, quia indubie primi parentes antea invocaverant & prædicaverant nomen Domini cf. Sal. Glash. Ph. Sac. L. III. Tr. III. can. IV. p. m. 759. seq. (cf. §. 5.) Interim tamen ex hoc dicto Paulino vetus testamentum τὴν διαθήκην περιττην appellari perspicere possumus.

§. 75.

Conclusio.

Quoniam sacrificiorum oblatio & cultus Dei externus absque omni rituum & ceremoniarum apparatu peragi nequit; Adamus autem primum Deo obrulit sacrificium primusque fuit, qui Deum externe coluit; sequiter, ut quibusdam ritibus & formulis sacrificium illud primum sit factum; non autem iisdem, quibus sacrificia in hierarchia Israelitica, de quibus cf. Outram. L. I. c. XV. p. m. 157. sunt peracta, quod quidem ex opportunitate loci, & temporis, aliisque rebus circumstantibus facile perspecti potest. Cum itaque, quæ addi possent, non invenimus, promissis stetisse confidentes huic dissertationi imponimus finem.

S. D. G.

a. 2219 :